

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Secundum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In M Tvillii Ciceronis De Natvra Deorvm Ad M Ivnivm Brvtvm Librvm III.
Commentarius Aldi Mannuccij.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770553)



I N

M. TVLLII. CICERONIS
DE. NATVRA. DEORVM
AD. M. IVNIVM. BRVTVM
LIBRV M. III.

Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM

Quae Balbus Stoicus praecedenti libro asseueravit de dijs, eorumq. providentia in mundo, & singulis partibus, eadem per singula capita repetens Cotta Academicus, rationibus contrarijs infirmat: & de omnibus probabiliter differens, Lectori integram iudicandi potestatem relinquit, simulq. credendi, nihil esse tam firmum, quin possit probabiliter impugnari.

CICERO



VAE cum Balbus dixisset, tum arridens Cotta, Sero, inquit, mihi, Balbe, praecipis, quid defendam. ego enim, te disputante, quid contra dicerem, mecum ipse meditabar, neque tam refellendi tui causa, quam ea, quae minus intelligebam, requirendi. cum autem suo cuique iudicio sit utendum, difficile factu est, me id sentire, quod tu uelis. Hic Vel leius, Nescis, inquit, quanta cum expectatione, Cotta, sim te auditorus. iucundus enim Balbo nostro sermo tuus contra Epicurum fuit. praeebo igitur me tibi uicissim attentum contra Stoicos auditorem. Spero enim te, ut soles, bene paratum uenire. Tum Cotta, Si mehercule, inquit, Vellei. neque enim mihi par ratio cum Lucilio est, ac tecum fuit. Qui tandem, inquit ille? Quia mihi uidetur Epicurus noster de dijs immortalibus non magnopere pugnare. tatummodo negare deos esse non audeat, ne quid inuidiae subeat, aut criminis. cum uero deos nihil agere, nihil curare confirmat, membrisque humanis esse praeditos, sed eorum membrorum usum nullum habere: ludere uidetur, satisq. putare, si dixerit, esse quandam beatam naturam, & aeter-

nam. A Balbo autem, animaduertisti, credo, quam multa dicta sint, quamque, etiam si minus uera, tamen apta inter se, & cohaerentia, itaque cogito, ut dixi, non tam refellere eius orationem, quam ea, quae minus intellexi, requirere. quare, Balbe, tibi permitto, respondere ne mihi malis de singulis rebus quaerenti ex te ea, quae parum accepi, an uniuersam audire orationem meam. Tum Balbus, Ego uero, si quid explanari tibi uoles, respondere malo; sin me interrogare, non tam intelligendi causa, quam refellendi; utrum uoles, faciam; uel ad singula, quae requires, statim respondebo; uel, cum peroraris, ad omnia. Tum Cotta, Optime, inquit, quamobrem sic agamus, ut nos ipsa ducit oratio. sed ante quam de re, pauca de me. Non enim mediocriter moueor auctoritate tua, Balbe, orationeque ea, quae me in perorando cohortabatur, ut meminissem, me & Cottam esse, & pontificem, quod eo, credo, ualebat, ut opiniones, quas a maioribus accepimus de dijs immortalibus, sacra, caerimonias, religionesque defenderem, ego uero eas defendam, semperque defendi: nec me ex ea opinione, quam a maioribus accepi de cultu deorum immortalium, ullius unquam oratio aut docti, aut indocti mouebit. sed, cum de religione agitur, Ti. Coruncanium, P. Scipionem, P. Scaenolam, pontifices maximos,

maximos, non Zenonem, aut Cleanthem, aut Chryspum sequor; habeoq. C. Laelium augurem, eundem sapientem; quem potius audiam de religione dicentem in illa oratione nobili, quam quemquam principem Stoicorum. cumq. omnis populi R. religio in sacra, & in auspicia diuisa sit; tertium adiunctum sit, si quid praedictionis causa ex portentis, et monstris

Sibyllae interpretes, auspices ue monuerunt: harum ego religionum nullam umquam contemnendam putavi; mihiq. ita persuasi, Romulum auspicijs, Numam sacris constitutis fundamenta iecisse nostrae ciuitatis: quae numquam profecto sine summa placatione deorum immortalium tanta esse potuisset.

EXPLANATIO



QVAE cum Balbus dixisset & Cottae Academici responsio ad Balbi adhortationem. SVO & libero. Libera quidem sunt iudicia in rebus dubijs, sed tamen ad unam certam ueram ueritatis normam dirigenda. Hic id est, postquam ita locutus esset Cotta. Dissimilitudo dogmatis Epicuri, & Stoicorum de Deo: Epicurus sibi ipsi pugnancia dicit, dum deos quidem non negat, sed rationem omnem illis adimit; Balbus uero apta dicit, & cohaerentia. Si mehercule, inquit, Vellei. Aut in uerbis mendum est, aut quippiam desideratur. quod si ita corrigas, Sane hercule, inquit, Vellei; non erit, quo lector offendatur. subaudietur enim, paratus uenio: & optime cum sequentibus congruet sententia. Haec Paullus pater. APTA & connexa, QVAE, Balbe, & Deliberatio de modo disputationis. Ipsa ducit oratio & propofita disputatio quadripartita. PAUCA de me? De persona, siue officio Cottae pontificis, quod est constanter tueri religionem maiorum. NOBILI & celebri, & omnium iudicio celebrata: de ea sic scribit in Bruto, Oratione Laelii de collegijs nihil dulcius, in qua de religione disseruit. CVMQ. omnis populi Rom. religio & Diuisio religionis in sacra auspicia, & praedictionem, ex portentis, & monstris. SIBYLLAE & Sibyllinorum carminum. SACRIS constitutis & placatione deorum iacta fundamenta ciuitatis Romae.

CICERO

HABES, Balbe, quid Cotta, quid pontifex sentiat. fac nunc ergo intelligam, tu quid sentias. a te enim philosopho rationem accipere debeo religionis, maioribus autem nostris, etiam nulla ratione redita, credere. Tum Balbus, Quam igitur a me rationem, inquit, Cotta desideras? Et ille, Quadripartita, inquit, fuit diuisio tua: primum, ut uelles docere, deos esse: deinde, quales essent: tum, ab his mundum regi: postremo, consulere eos rebus humanis. haec, si recte memini, partitio fuit. Rectissime, inquit Balbus: sed expecto, quid requiras. Tum Cotta, Primum quid que uideamus, inquit, et si id est primum, quod inter omnes, nisi admodum impios, conuenit, mihi quidem ex animo exuri non potest, esse deos. id tamen ipsum, quod mihi persuasum est, esse deos auctoritate maiorum, cur ita sit, nihil tu me doces. Quid est, inquit Balbus, si tibi persuasum est, cur ea me uelis discere? Tum Cotta, Quia sic aggredior, inquit, ad hanc disputationem, quasi nihil umquam audierim de dijs immortalibus, nihil cogitauerim: rudem me discipulum, & integrum accipe, et ea, quae requiro, doce. Dic igitur, quid requiras. Ego ne? primum illud, cur, quod perspicuum in istam partem, ne egere quidem oratione dixisses, quod esset conspicuum, & inter omnes constaret, de eo ipso tam multa dixeris. Quia te quoque, inquit, animaduerti, Cotta, saepe cum in foro diceres, quam plurimis posses argumentis onerare iudicem, si modo eam facultatem tibi daret causa. atque hoc idem & philosophi faciunt, & ego, ut potui, feci. tu autem, quid quaeris, similiter facis; ac si me roges, cur te duobus contuear oculis, & non altero tantum, cum idem uno asequi possim. Tum Cotta, Quam simile, istud sit, inquit, tu uideris. nam ego neque in causis, si quid est euidentis, de quo inter oēs conueniat, argumentari solco, perspicuitas enim argu-

mentatione eleuatur: nec, si id facerem in causis forensibus, idem facerem in hac subtilitate sermonis. Cur contuereris autem altero oculo, causa non esset; cum idem obtutus esset amborum, & cum rerum natura, quam tu sapientem esse uis, duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere uoluisset, sed, quia non confidebas, tam esse id perspicuum, quam tu uelis; propterea multis argumentis, deos esse, docere uoluisti. mihi enim unum satis erat, ita nobis maiores nostros tradidisse. sed tu auctoritates omnes contemnis, ratione pugnas. patere igitur, rationem meam cum tua ratione contendere. Afferes haec omnia argumenta, cur dii sint: remq. mea sententia minime dubiam, argumentando dubiam facis. mandauit enim memoriae non numerum solum, sed etiam ordinem argumentorum tuorum. Primum fuit, cum caelum suspexissemus, statim nos intelligere, esse aliquod numen, quo haec regantur. ex hoc illud etiam, Adspice hoc sublime candens, quem uocant omnes Iouem.

quasi uero quisquam nostrum, istum potius, quam Ca pitolinum, Iouem appellet; aut hoc perspicuum sit, constetq. inter omnes, eos esse deos, quos tibi Velleius, multiq. praeterea ne animantes quidem esse concedant. Graue etiam argumentum tibi uidebatur, quod opinio de dijs immortalibus & omnium esset, & quotidie cresceret. placet igitur, tantas res opinionem stultorum indicari, nobis praesertim, qui illos insanus esse dicatis? At enim praesentes uidemus deos, ut apud Regillum Postumius, in Salaria Vatiennus, nescio quid etiam de Locrorum apud Sagram proelio, quos igitur tu Tyndaridas appellabas, id est homines, homine natos; & quos Homerus, qui recens ab illorum aetate fuit, sepultos esse dicit Lacedaemone; eos tu canterijs albis, nullis calonijs, obuiam Vatiennus

vatiens uenisse existimas, & uictoriam populi R. uatiens potius, homini rustico, quam M. Catoni, qui tum erat princeps, nunciauisset ergo & illud in silice, quod hodie apparet apud Regillum, tamquam uestigium unguis Castoris equi credis esse? non ne mauius illud credere, quod probari potest, animos praeclearorum hominum, quales isti Tyndaridae fuerunt, diuinos esse, & aeternos, quam eos, qui semel cremati essent, equitare, & in acie pugnare potuisse? aut, si hoc fieri potuisse dicis, doceas, oportet, quo modo;

nec fabellas aniles proferas. Tum Lucilius, An tibi, inquit, fabellae uidentur? non ne ab A. Postumio aedem Castori & Polluci in foro dedicatam, non ne S. C. de Vatiens uides? nam de Sagra, Graecorum etiam est uulgare prouerbum: qui, quae affirmant, certiora esse dicunt, quam illa, quae apud Sagram. his igitur auctoribus non ne debes moueri? Tum Cotta, Rumoribus, inquit, mecum pugnas Balbe: ego autem a te rationes requiro.

EXPLANATIO

PHILOSOPHO & sapientiae amatore. ETIAM nulla ratione? Vetustae religionis tanta est uis, ut sola auctoritate nos frangat: quod tamen non de omni religione, sed de pia & sancta debet intelligi. ET ille? Repetio capitum disputationis. PRIMVM quidque? id quodcumque est in proposita disputatione primum. Ordo disputationis sequentis. ADMODVM impio? quale Diagoras, & Theodorus, deum penitus negantes. MIHI quidem? Assuetudine diserta Cottae de dijs. TVM Cotta? Dissimulatio cum extenuatione sui. EGO ne? Modeste perstringit uerbofitatem Balbi de re aperta. QVIA te? Excusatio Balbi ab exemplo Cottae in re simili a philosophorum exemplo. TV autem? Simile, quod tamen eleuat Cotta, suum proferens exemplum PERSPICUITAS enim? Res per se perspicua & minime dubia argumentando eleuatur, id est minuitur, & dubia fit. NEC si id? Alia refutatio ex circumstantia rei, alia causa aliae orationis habitum desiderat. SVBTLITATE sermonis? qui scilicet necessaria tantum admittit, superflua contemnens. CVR contuereris? Alia refutatio similitudinis Balbi, ab ordinatione naturae. CAUSSA non esset? nullam haberes causam. CVM idem obtutus esset amborum? quia non maiore opera contuereris ambobus oculis, quam altero. RERVM natura? uis, quae in natura uniuersa operatur. AB animo? a cerebro, cui insidet animus. Cerebrum Plato uoluit esse animi sedem: inde duo caui nerui ad oculos tendunt, qui optici dicuntur a Graecis, ut non solum physici docent, uerum etiam medici, qui ista aperta, & patefacta uiderunt. SED quia? Causa uerbofitatis Balbi, uidelicet rei sine causae infirmitas. languida enim causa uerbis fulcienda, & ornanda est. AVCTORITATES? sententias. PATERE igitur? Semota auctoritate rationibus pugnandum est in philosophia, id quod Stoici faciunt, & Academici hoc loco. οὐ γὰρ λόγοι καταπαλαίωσι λόγους, secundum Euripidem ratio rationem euerit. CONTENDERE? certare. PRIMVM fuit? Repetit Cotta primum Balbi argumentum ex caeli contuitu, ut illud impugnet. QVASI uero? Refutatio ex ambiguitate uocabuli Iouis. GRAUE etiam? Secundum argumentum ex opinione communi. PLACET igitur? Refutatio, Sapiens nihil ex opinione multitudinis imperitiae iudicare debet. AT enim? Tertium argumentum a praesentia deorum. QVOS igitur? Refutatio commentum de apparitione deorum. Primo a conditione Tyndaridarum, quia homines sunt, non dii. Secundo ab auctoritate Homeri, qui illos sepultos esse asserit. Tertio ab imprudentia, quod homini rustico potius, quam sapienti apparuerunt. Quarto ab animorum natura & proprietate, quod diuini sunt, post mortem corporis non equitent, aut pugnent. Quinto a uanitate, quod fabulae haec sint aniles. TYNDARIDAS? Tyndari filios ex Laeda. CANTERIS? equis castratis. CALONIBVS? feruis militaribus. TVM Lucilius? Lucilius opponit auctoritates, quibus fidem faciat sermoni de apparitione deorum. PROVERBIVM? in incredulos natum est prouerbum, ἀληθῆτερα τῶν ἐπί σάγρα.

CICERO

SEQUENTVR, quae futura sunt, effugere enim nemo id potest, quod futurum est. saepe autem ne utile est quidem scire, quid futurum sit. miserum est enim, nihil proficientem angere, nec habere ne spei quidem extremum, & tamen commune, solatium; praesertim cum uos ijdem fato fieri dicatis omnia; quod autem semper ex omni aeternitate uerum fuerit, id esse fatum. Quid igitur iuuat, aut quid affert ad cauendum scire aliquid futurum, cum id certe futurum sit? Vnde porro ista diuinitas? quis inuenit fissum iecoris? quis cornicis cantum notauit? quis sortes? quibus ego credo; nec possum Attij Nauij, quem commemorabas lituum contemnere: sed, qui ista intellecta sunt, a philosophis deo discere; praesertim cum isti plurimis de rebus diuinis mentiantur. At medici quoque (ita enim dicere solent) saepe saluntur: quid si me medicina, cuius ego rationem uideo, & diuina-

tio, quae unde oriatur, non intelligo? Tu autem etiam Deciorum deuotionibus placatos deos esse censes, quae fuit eorum tanta iniquitas, ut placari populo R. non possent, nisi uiri tales occidissent? consilium illud imperatorum fuit, quod Graeci στρατηγία appellant; sed eorum imperatorum, qui patriae consulere, uita non parcerent. rebantur enim fore, ut exercitus imperatorem, equo incitato se in hostes immittentem, persequeretur: id quod enenit. Nam Fauni uocem equidem numquam audiui. tibi, si audiuissete dicis, credam. & si, Faunus omnino quid scit, nescio. Non igitur adhuc, quantum quidem in te Balbe est, intelligo deos esse: quos quidem credo esse, sed nihil docent Stoici. nam Cleanthes, ut dicebas, quattuor modis formatas in animis hominum putat deorum esse notiones. unus is modus est, de quo satis dixi, qui est susceptus ex praesensione rerum futurarum; alter

alter ex perturbationibus tempestatum, & reliquis moribus: tertius ex commoditate rerum, quas percipimus, & copia: quartus ex astrorum ordine, caeliq. constantia. de praefensione diximus. de perturbationibus caelestibus, & maritimis, & terrenis, non possumus dicere, cum ea fiant, non esse multos, qui ea metuunt, & a dijs immortalibus fieri existiment. sed non id quaeritur: sint ne aliqui, qui deos esse putent; dij utrum sint, nec ne sint, quaeritur. Nam reliquae causae, quas Cleanthes affert; quarum una est de commodorum, quae capimus, copia, altera de temporum ordine, caeliq. constantia; tum tractabuntur a nobis, cum de providentia deorum disputabimus; de qua plurima a te, Balbe, dicta sunt. eodemq. illa etiam differemus: quod Chrysippum dicere aiebas, quoniam esset aliquid in rerum natura, quod ab homine effici non posset, esse homine aliquid melius: quaeq. in domo pulchra cum pulchritudine mundi comparabas; & cum totius mundi convenientiam, consensumq. afferebas; Zenonisq. breues, & acu-

tulas conclusiones in eam partem sermonis, quam modo dixi, differemus: eodemq. tempore illa omnia, quae a te physice dicta sunt de vi ignea, deq. eo calore, ex quo omnia generari dicebas, loco suo quaerentur: omniaque, quae a te nudius dicta sunt, cum docere uelles deos esse, quare & mundus uniuersus, & Sol, & Luna, & Stellae sensum, ac mentem haberent, in idem tempus referuabo. a te autem illud etiam atque etiam quaeram, quibus rationibus tibi persuasas, deos esse. Tu Balbus, E quidem attulisse rationes mihi uideor: sed eas tu ita refellis, ut, cum me interrogaturus esse uideare, et ego me ad respondendum compararim, repente auertas orationem, nec despondendi locum. itaque maxime res tacitae praeterierunt, de diuinatione, de fato: quibus de quaestionibus tu quidem stricte, nostri autem multa solent dicere: sed ab hac quaestione, quae paene nunc in manibus est, se parantur. quare, si uidetur, noli agere confuse, ut hoc explicemus hac disputatione, quod quaeritur.

EXPLANATIO

SEQVUNTUR, quae futura sunt? Cotta, omisso Faunorum uocibus, de quibus meminerat Balbus, transit ad rerum futurarum praedictiones, & praefensiones, ex quibus Stoici arguunt deos esse, easq. omnes (cum ipsi Stoici uelint prouisa declinari non posse) inutiles eas esse affirmat, sed tamen conficta esse, & commenticia, quaecumque de diuinatione traduntur. **SAEPE autem?** Futura scire saepe plus obest, quam prodest. **MISERVM est?** *ἀτιμοδωγία*, quia praescientia futuri mali angit animum, & ipse omni priuat. **COMMUNE solatium?** Fatum est commune solatium, quia necessario ferendum esse denunciat, quidquid cuique euenit. **QVOD autem?** Definitio fati Stoica. **VNDE porro?** Diuinationis extenuatio ab auctoribus eius. **NOTAVIT?** sic obseruauit. **SED qui?** sed quomodo. **ISTI?** haruspices, & augures. **AT medici?** Dissimilitudo medicinae a diuinatione: illa rationibus nititur manifestis, haec uero *ἄλογος* est, id est rationis expers. **TU autem?** Extenuatio deuotionum, quae placandi dei causa sunt. *στρατιώγῆμα* & dolus militaris. Historia P. Decij exstat lib. IIX. Decad. I. apud Liuium. **NAM Fauni uoces?** Respondet Cotta ad id, quod praetermiserat de Fauni uocibus, ne memoriae lapsu id fecisse uideretur, sed potius quia nullius essent momenti. Dicit igitur, Balbum, non rationibus, sed rumoribus pugnare; dum, ex Fauni uocibus, quas non audierit, ipse nititur ostendere deos esse. Faunus a Fando hoc est uaticinando nomen inuenit. Vxor eius fuit Fatua, unde Fatuus qui inconsiderate loquitur. **RELIQVIS?** ut motu terrae, ac tempestatibus maris. **NAM Cleanthes?** Repetitio quattuor argumentorum Cleanthis de Deo cognoscendo. **SED non id?** Reuocat disputationem ad principalem quaestionem, utrum sit deus aliquis, per reiectionem. **TVM Balbus?** Reprehensio inconstantis disputationis, & sophistices in Cotta.

CICERO

OPTIME, inquit, Cotta. itaque, quoniam quattuor in partes totam quaestionem diuisisti, de primaq. diximus, consideremus secundam. quae mihi talis uidetur fuisse, ut, cum ostendere uelles, quales dij essent, ostenderes nullos esse. a consuetudine enim oculorum animum abducere difficillimum dicebas: sed, cum deo nihil praestantius esset, non dubitabas quin mundus esset deus; quod nihil in rerum natura melius esset; modo possemus eum animantem cogitare, uel potius, ut cetera oculis, sic animo hoc cernere. sed, cum mundo negas quidquam esse melius, quid dicis melius? si pulchrius, assentior; si aptius ad utilitates nostras, id quoque assentior; sin autem id dicis, nihil esse mundo sapientius; nullo modo prorsus assentior: non quod difficile sit mentem ab oculis seuocare: sed quo magis seuoco, eo minus id, quod tu uis, possum mente comprehendere. Nihil est mundo melius in rerum natura. ne in terris qui-

dem urbe nostra: num igitur iccirco in urbe esse rationem, cogitationem, mentem putas? aut, quoniam non sit, num iccirco existimas fornicam anteponendam esse huic pulcherrimae urbi, quod in urbe sensus sit nullus, in formica non modo sensus, sed etiam mens, ratio, memoria? Videre oportet, Balbe, quid tibi concedatur, non te ipsum, quod uelis, sumere. istum enim locum totum illa uetus Zenonis breuis, & ut tibi uidebatur, acuta conclusio dilatauit. Zenon enim ita concludit. Quod ratione utitur, melius est, quam id, quod ratione non utitur. nihil autem mundo melius: ratione igitur mundus utitur. Hoc si placet, iam efficies, ut mundus optime librum legere uideatur. Zenonis enim uestigijs hoc modo rationem poteris concludere. Quod litteratum est, id est melius, quam quod non est litteratum. nihil autem mundo melius: litteratus igitur est mundus. isto modo etiam disertus, & quidem mathematicus, musicus, et-

ni denique doctrina eruditus, postremo philosophus erit mundus. Saepe dixi, nihil fieri sine deo, nec ullam vim esse naturae, ut sui dissimilia possit effingere. concedam, non modo animantem, & sapientem esse mundum, sed fidicinem etiam, & tibicinem: quoniam earum quoque artium homines ex eo procreantur. nihil igitur affert pater iste Stoicorum, quare mundum ratione uti putemus, nec cur animantem quidem esse. non est igitur mundus deus: & tamen nihil est eo melius. nihil est enim eo pulchrius, nihil salutaris, nihil ornatius ad specum, motuque constantius. quod si mundus uniuersus non est deus, ne stellas quidem, quas tu innumerabiles in deorum numero reponebas. quarum te cursus aequabiles, aeternique delectabant: nec mehercule iniuria: sunt enim admirabili, incredibili, constantia. sed non omnia, Bal-

be, quae cursus certos, & constantes habent, ea deo potius, quam naturae, tribuenda sunt. quid Chalcidico Euripo in motu identidem reciprocando putas fieri posse constantius? quid freto Siciliensi? quid Oceani feruore illis in locis,

Europam, Libyamque rapax ubi diuidit unda?
quid? aestus maritimi uel Hispanienses, uel Britannici, eorumque certis temporibus uel accessus, uel recessus sine deo fieri non ne possunt? uide, quae so, si omnis motus, omniaque, quae certis temporibus ordinem suum conseruant, diuina dicimus; ne tertianas quidem febres, & quartanas diuinas esse dicendum sit; quarum reuersione, & motu quid potest esse constantius? sed omnium talium rerum ratio reddenda est. quod uos cum facere non potestis; tamquam in aram, confugitis ad deum.

EXPLANATIO

ITAEQUE, quoniam Transfatio ad secundam partem disputationis, quales sint dii, in qua propositio est, Stoicus cum demonstrare uult, qualis sit deus, nullum esse deum ostendit. **A consuetudine** Ratio prima, quia mundum dicit esse deum, quod perinde est, ac si diceret, deum plane non esse. **MELIUS EFFET** melius esse cognosceremus. **SAPIENTIVS** maiori sapientia praeditum. **Id, quod tu uis**, id, quod tu concludis, scilicet mundum esse deum. **COMPREHENDERES** concludere. non enim sequitur, ut, quod in genere suo optimum est, habeat rationem, cogitationem, & mentem. quod exemplo urbis Romae probatur. **NE IN TERRIS** Simile, quo declaratur fallitas argumenti Stoici, quod erat: Quod melius est, ratione utitur, Mundus est optimus, Igitur, &c. **AVT quoniam** Non semper, quod sensum habet, anteponendum est illi, quod eo caret. **NON SIT**, non sit in urbe ratio, cogitatio, mens. **MENS** prouidentia: quoniam praeparat in aestate res tolerandae hiemi necessarias: unde Horatius,

frigusque, famem

Formica tandem quidam expauere magistra:

Paruula nam exemplo est magni formica laboris.

QUID tibi concedatur Ac si dicat, conceditur mundum esse quid pulchrius, & ad utilitates nostras aptius, sed non iccirco sapientius, id quod urbis Romae exemplo probatum est; At si etiam sapientius, non iccirco melius ac praestantius, id quod exemplo formicae perspicuum est. **Hoc si placet**, colligit absurda ex dato inconueniente secutura. **EFFICIES** concludes. **SAEPE DIXI** Refutatio argumenti de procreatione similitum supra lib. II. **VIM naturae** effectricem causam, in semine. **CONCEDAM** Deridet Cotta eiusmodi commentum Stoicorum. **PATER iste Stoicorum** Zeno scilicet Stoicae sectae princeps. **QUOD si mundus** Argumentum a toto ad partes. **SED non omnia** Constantia non deo soli competit, sed etiam rebus conditis. **CHALCIDICO** Chalcis est opidum ad fretum Euboicum, quod certas habet mutationes. **FERVORE** aestus, ebullitione. **IN illis locis, Europam, &c.** in freto Gaditano, per quod influit, refluunt. Oceanus, & Europam a Libya determinat. **SINE deo** id est, sine ordine naturali. **VIDE quae so**, Absurdum. **NE tertianas quidem febres**, Muretus legendum putat, Ne tertianas quoque febres, aut, Ne tertianas item febres, id quod sententia requirere uidetur. Haec Paullus pater. **TAMQVAM ad aram** Translatio ab his, qui omni auxilio destituti ad aram confugiunt. Vnde illud Virgil. Haec ara tuebitur omnes.

CICERO

ET Chrysippus tibi acute dicere uidebatur, homo sine dubio uersutus, & callidus. uersutos eos appello; quorum celeriter mens uersatur. callidos autem, quorum, tamquam manus opere, sic animus usu concalluit. is igitur, si aliquid est, inquit, quod homo efficere non possit; qui id efficit, melior est homine. homo autem haec, quae in mundo sunt, efficere non potest: qui potuit igitur, is praestat homini. homini autem praestare quis possit, nisi deus? est igitur deus. Haec omnia in eodem, quo illa Zenonis, errore uersantur. quid enim sit melius, quid praestabilius, quid inter naturam, & rationem intersit, non distinguitur. Idemque, si dei non sint, negat esse in omni natura quidquam homine melius; id au-

tem putare quemquam hominem, nihil homine melius, summae arrogantiae censet esse. Sit sane arrogantis, pluri se putare, quam mundum. at illud non modo non arrogantis, sed potius prudentis, intelligere se habere sensum, & rationem, & orationem, haec eadem & canicula non habere. Et, si domus pulchra sit, intelligamus eam dominis, inquit, aedificatam esse, non muribus. sic igitur mundum deorum domum existimare debemus. Ita prorsus existimarem, si illum aedificatum, non, quemadmodum docebo, a natura conformatum putarem. At n. quaerit apud Xenophontem Socrates, unde animam arripuerimus, si nulla fuerit in mundo. Et ego quaero, unde numeros, unde orationem, unde cantus. nisi uero loqui Solem cum Luna putamus,

K

mus,

mus, cum propius accesserit; aut ad harmoniam canere mundum, ut Pythagoras existimat. naturae ista sunt, Balbe, naturae non artificiose ambulantis, ut ait Zeno; quod quidem quale sit, iam uidebimus; sed omnia cientis, & agitantis motibus, & mutationibus suis. itaque illa mihi placebat oratio de convenientia, consensuque naturae, quam quasi cognatione continuatam conspirare dicebas. illud non probabam; quod negabas id accidere potuisse, nisi ea uno diuino spiritu contineretur. illa uero cohaeret, & permanet naturae uiribus, non deorum: estque in ea iste quasi consensus, quam *συμπάθεια* Graeci uocant: sed ea, quo sua sponte maior est, eo minus diuina ratione fieri existimanda est. illa autem, quae Carneades afferebat, quemadmodum dissoluitis? si nullum corpus immortale sit, nullum esse corpus sempiternum: corpus autem immortale nullum esse, ne indiuiduum quidem, nec quod dirimi, disrabiq. non possit: cumque omne animal patibilem naturam habeat, nullum est eorum, quod effugiat accipiendi aliquid extrinsecus, id est quasi ferendi & patiendi, necessitatem. et si omne animal mortale est; nullum est immortale. et si omne animal secari ac diuidi potest; nullum est eorum indiuiduum, nullum aeternum. at qui omne animal ad accipiendam uim externam; & ferendam paratum est:

mortale igitur omne animal, & dissolubile, & diuiduum sit necesse est. ut enim, si omnis cera commutabilis esset, nihil esset ceruum, quod commutari non posset; item nihil argenteum, nihil aeneum, si commutabilis esset natura argenti, & aeris: similiter igitur, si omnia, quae sunt, e quibus cuncta constant, mutabilia sunt, nullum corpus esse potest non mutabile. mutabilia autem sunt illa, ex quibus omnia constant, ut uobis uidetur: omne igitur corpus mutabile est. at, si esset corpus aliquod immortale, non esset omne mutabile. ita efficitur, ut omne corpus mortale sit. etenim omne corpus aut aqua, aut aer, aut ignis, aut terra est, aut id, quod est concretum ex his, aut ex aliqua parte eorum: horum autem nihil est, quod non intereat. nam & terrenum omne diuiditur: & humor ita molis est, ut facile comprimatur, collidique possit: ignis uero, & aer omni impulsu facillime pellitur, naturaque cedens est maxime, & dissipabilis. praeterea omnia haec tuum intereunt, in naturam aliam conuertuntur: quod sit, cum terra in aquam se uertit, & cum ex aqua oritur aer, & cum ex aere aether, cumque eadem uicissim retro commeant. quod si ea intereunt, ex quibus constat omne animal: nullum est animal sempiternum.

EXPLANATIO

CONCALLUIT. 3 quasi callum fecit, & habitum longa experientia solidatum. Is igitur si 3 Repetitio argumenti, a comparatione effectuum dei, & hominis. IDEMQUE, 3 Refutatio argumenti. Arrogantia est putare homine nihil esse melius. Igitur deum esse confitendum est. SIT sane 3 Responso per concessionem Rhetoricam. SENSVM, & rationem, haec eadem & caniculam non habere: alij, Sensum, & rationem, & orationem, haec eadem orationem, & caniculam non habere. Haec Paullus pater. ET SI domus 3 Repetitio argumenti a simili, siue minori. Domus aedificatur propter dominum. Igitur multo magis mundus propter deum. ITA prorsus 3 Confutatio, negans mundum a Deo conditum, sed a natura. NATVRAE sunt 3 Opera, aut effectiones naturae. NON artificiose ambulantis 3 non quae rationis particeps sit. SVIS 3 Cognatis, conuenientibus, quibus appetit, & semper declinat ad nouam formam. *συμπάθεια* 3 Plinius agens de gemmis, dicit id quoque, quod totis his uoluminibus docere, & mandare conati sumus, de discordia rerum, concordiaque, qua antipathiam, & simpathiam appellauerunt Graeci, non aliter clarius intelligi potest. SED ea, quo 3 Argumentum, quo quid sua sponte est maius, eo minus fit ratione diuina. Natura sua sponte est maxima. Igitur non regitur diuinitus. ILLA autem 3 scilicet argumenta. Si nullum corpus & c. 3 Haec sunt Carneadis Academici argumenta, quibus, contra Stoicos, qui mundum animantem dicebant esse deum, probat, omne corpus esse mortale, & nullum animal esse sempiternum. PATIBILEM 3 aptam pati. UIM externam 3 extrinsecum nocimentum. VT enim 3 similitudine cerae, & metallorum, probat omne corpus esse mutabile. Ex quibus omnia constant, 3 composita sunt. CONCRETVM 3 coagmentatum.

CICERO

ET, ut haec omittamus, tamen animal nullum inueniri potest, quod neque natum unquam sit, & semper sit futurum. omne enim animal sensus habet: sentit igitur & calida, & frigida, & dulcia, & amara, nec potest ullo sensu iucunda accipere, & non accipere contraria. si igitur uoluptatis sensum capit, doloris etiam capit: quod autem dolorem accipit, id accipiat etiam interitum necesse est: omne igitur animal, confitendum est, esse mortale. Praeterea, si quid est, quod nec uoluptatem sentiat, nec dolorem, id animal esse non potest. sin autem, quod animal est, id illa necesse est, sentiat: & quod ea sentiat, non potest esse aeternum: & omne animal sentit: nullum igitur a-

nimal est aeternum. Praeterea nullum potest esse animal, in quo non & appetitio sit, & declinatio naturalis. appetuntur autem, quae secundum naturam sunt; declinantur contraria: & omne animal appetit. quaedam, & fugit a quibusdam. quod autem refugit, id contra naturam est: & quod est contra naturam, id habet uim interimenti: omne ergo animal intereat necesse est. innumerabilia sunt, ex quibus effici, cogique possit, nihil esse, quod sensum habeat, quid intereat. etenim ea ipsa, quae sentiuntur, ut frigus, ut calor, ut uoluptas, ut dolor, ut cetera, cum amplificata sunt, interimunt: nec ullum animal est sine sensu: nullum igitur animal est aeternum. etenim aut simplex

plex est natura animatis, ut uel terrena sit, uel ignea, uel animalis, uel humida; quod quale sit, ne intelligi quidem potest: aut concreta ex pluribus naturis, quarum suum quaeque locum habeat, quo naturae uel effertur, alia infimum, alia summum, alia mediū. haec ad quoddam tempus cohaerere possunt, semper autē nullo modo possunt. necesse est enim, suum quaeque in locum natura rapiatur. nullum igitur animal est sempiternum. Sed omnia uestri, Balbe, solent ad igneam uim referre, Heraclitum, ut opinor, sequentes: quem ipsum non omnes interpretantur uno modo. qui quoniam, quid diceret, intelligi noluit, omittamus. Vos autem ita dicitis, omnem uim esse ignem: itaque & animantes, cum calor defecerit, tum interire; & in omni natura rerum id uiuere, id uigere, quod caleat. ego

autem non intelligo, quo modo, calore exstincto, corpora intereant: non intereant, humore, aut spiritu amisso, praesertim cum intereant etiam nimio calore. quā obrem, id quidem commune est de calido: ueruntamen uideamus exitum. Ita uultis, opinor, nihil esse animal extrinsecus in natura, atque mundo, praeter ignem: qui magis, quam praeter animam, unde animantium quoque constet animus, ex quo anima dicitur. Quo modo autem, hoc quasi concedatur, sumitis, nihil esse animum, nisi ignem? probabilis enim uidetur, tale quiddam esse animum, ut sit ex igne, atque anima temperatum. quod si ignis ex se ipse animal est, nulla se alia admiscete natura; quoniam is, cum inest in corporibus nostris, efficit ut sentiamus: non potest ipse esse sine sensu.

EXPLANATIO

SEd omnia uestri; Refutatio commenti Stoici, quod omnis uis sit ignis, hoc est, quod calore omnia uiuant, sumpta ex partibus ipsius, quae interitum afferunt. HERACLITUM; Fuit Ephesius, cognomento Scotinos, id est obscurus, & tenebrosus, quoniam nimis obscure de rerum natura disseruit. OMNEM uim; potentiam rerum omnium uel electricam. VIGERE; crescere. ITA uultis opinor; Haec, ut puto, est uestra sententia. NIHIL esse animale; id est, ex igne, tamquam ex actu primo omnem mundi motum proficisci. Nam animus Zenoni Stoico ignis uidetur, & ignis Stoicorum animalis est, quod *πρῶτα θεῶν* uocant. QVI; quomodo inquit Cotta magis est animal ignis, quam anima, hoc est spirabilis natura. Vnde; ex qua spirabili natura. Ex quo; quia, & inde. EFFICIT; causa est. QVOD si ignis; Absurdum colligit per Soriten. Si ignis est animal, sentit, si sentit habet uoluptatem, & dolorem, si dolorem habet, aliquando interit. Igitur si ignis animal est, aliquando interbit.

C I C E R O

REVERSUS eadem dici possunt. quidquid est enim quod sensum habeat, id necesse est, sentiat & uoluptatem, & dolorem; ad quem autem dolor ueniat, ad eundem etiam interitum uenire. ita fit, ut ne ignem quidem efficere possitis aeternum. quid enim? non eisdem uobis placet, omnem ignem partu indigere & nec permanere ullo modo posse, nisi alatur? alii autem Solem, Lunam, reliqua astra, a quibus alia dulcibus, alia amaribus; eamque causam Cleanthes affert, cur se Sol referat, nec longius progrediatur solstitiali orbe, itemque brumali, ne longius discedat a cibo: hoc totum quale sit, mox: nunc autem concludatur illud, quod interire possit, id aeternum non esse natura: ignem autem interiturum esse; nisi alatur: non esse igitur natura ignem sempiternum. Qualem autem deum intelligere nos possumus, nulla uirtute praeditum? quid enim? prudentiam ne deo tribuemus? quae constat ex scientia rerum bonarum, & malarum, & nec bonarum, nec malarum. cui mali nihil est, nec esse potest; quid huic opus est delectu bonorum, & malorum? quid autem ratione? quid intelligentia? quibus utimur ad eam rem, ut apertis obscura assequamur. at obscurum deo nihil potest esse. Nam iustitia, quae sum cuique distribuit, quid pertinet ad deos? hominum enim societas, & communitas, ut uos dicitis, iustitiam procreauit. Temperantia autem constat ex praetermit-

tendis uoluptatibus corporis: cui si locus in caelo est, est etiam uoluptatibus. Nam fortis deus intelligi qui potest & in dolore, an in labore, an in periculo? quorum deum nihil attingit. Nec ratione igitur utentem, nec uirtute ulla praeditum deum intelligere qui possumus? Nec uero uulgi atque imperitorum inscitiam despicere possum, cum ea considero, quae dicitur a Stoicis. sunt enim illa imperitorum. Pisces Syri uenerantur. omne fere genus bestiarum Aegyptij consecrauerunt. iam uero, in Graecia multos habent ex hominibus deos, Alabandum Alabandi, Tenedi Tenem, Leucotheam, quae fuit Ino, & eius Palaemonem filium cuncta Graecia, Herculem, Aesculapium, Tyndaridas: Romulum nostri, aliosque complures: quos, quasi novos, & adscripticios ciues, in caelum receptos putant. Haec igitur indocti. quid uos philosophi qui meliora & omitto illa, sunt praecleara. sit sane deus ipse mundus. hoc credo illud esse,

- Sublime candens, quem uocant omnes Iouem, quare igitur plures adiungimus deos? quanta autem est eorum multitudo? mihi quidem sane multi uidentur. singulas enim stellas numeras deos; easque aut beluarum nomine appellas, ut capram, ut lupam, ut taurum, ut leonem; aut rerum inanimatarum, ut argon, ut aram, ut coronam.

EXPLANATIO

PASTV indigere ꝛ Reijcit commentum de pastu ignis, & astrorum ad suum locum. *Sz sol referat ꝛ* regre diatur a cancro scilicet ad Capricornum, & e contra a Capricorno ad cancrum. *ILLVD quod interiore ꝛ* Quod interit, non est aeternum, ignis interit nisi alatur, igitur ignis non est aeternus. *QVALEM autem ꝛ* Deus an virtute praeditus. *PRVDENTIAM ne ꝛ* Argumenta in pattem negantem ex speciebus uirtutis praecipuis. Primum ex definitione prudentiae, Prudentia est scientia, & delectus bonorum, & malorum, Deo non est opus delectu tali, quia nihil mali est ei, Igitur in Deo non est prudentia. *QVID autem ratione ꝛ* Secundum argumentum, intelligentiae usus est, ut apertis obscura assequantur, Deo nihil est obscurum. Igitur intelligentia Deo non inest. *ASSEQVAMVR. ꝛ* intelligamus. *NAM iustitia ꝛ* Tertium argumentum ex iustitiae humanae definitione. *COMMVNITAS ꝛ* ciuilibus conuersatio, quae eatenus progreditur, quatenus iustitia. *TEMPERANTIA ꝛ* Quartum argumentum, uoluptas corporis non habet locum in caelo, temperatio moderatur uoluptatibus corporis, Igitur Deus in caelo habitans, non est temperans. *Nec uero uulgi ꝛ* Commenticia numina gentium reijcit. *SVNT enim illa ꝛ* subaudi, Quae Stoici dicunt de qualitate numinum, quibusq. innituntur. *IMPERITORVM ꝛ* ab imperita multitudine pendentia. *ALABANDVM ꝛ* Hic auctore Stephano Callithoes filius fuit, ab equestri uictoria id nomen adeptus. Ala enim Caribus equum significat, & Banda, uictoriam. inde Alabanda dicta ciuitas Cariae. *TENEM ꝛ* Hic Cycni filius fuit, qui uita functus inter deos relatus est. Idem Cicero contra C. Verrem, Tenem ipsum, qui apud Tenedios sanctissimus deus habetur, qui urbem illam dicitur condidisse, e cuius nomine Tenedos nominatur. *LEUCOTHEAM ꝛ* Inoprius uocabatur Cadmi, & Harmoniae filia, quae Athamanti Thebanorum regi nupta cum ei peperisset Learchum, & Palaemonem, & ut in regno succederent patri Phrixum, & Hellen Athamanti filios ex Nebula uxore interficere uoluisse fugiens regis furorem in mare se praecipitauit una cum Palaemone, & dea facta est, Quam, inquit Hyginus, Liber Leucotheam uoluit appellari, nos matrem Marutam dicimus: Melicertem autem deum Palaemonem, quem nos Portumnum dicimus. *ADSCRIPTIOS ciues, ꝛ* adiunctos in augmentum ciuium. translatio ab iis, qui in colonias nomina dedissent, ut essent coloni. *HAEC igitur indocti. ꝛ* subaudi dicunt, aut opinantur. *QVI ꝛ* quomodo. *SIT sane ꝛ* Concessio ad eludendum multitudinem deorum. *QVAE igitur plures ꝛ* ac si dicat, unus sufficere uidetur.

CICERO

SED, ut haec concedantur, reliqua qui tandem modo concedi, sed omnino intelligi possunt ꝛ cum fruges Cererem, uinum Liberum dicimus, genere nos quidem sermonis utimur usitato: sed e quem tam amentem esse putas, qui illud, quo uescatur, deum credat esse? Nam, quos ab hominibus peruenisse dicis ad deos; tu reddes rationem, quemadmodum idem fieri potnerit, aut cur fieri desierit; & ego discam libenter. quo modo nunc quidem est, non uideo quo pacto ille, cui in monte Oetaeo illatae lampades fuerunt, ut ait Attius, in domum aeternae patris ex illo ardore perueniret: quem tamen Homerus conueniri apud inferos facit ab Ulysse, sicut ceteros, qui excefferat uita. quamquam, quem potissimum Herculem colamus, scire sane uelim. plures enim tradunt nobis ij, qui interioris scrutantur & reconditas litteras: antiquissimum Ioue natum, sed antiquissimo item Ioue, nam Ioues quoque plures in priscis Graecorum litteris inuenimus. ex eo igitur et Lisyo est is Hercules, quem conuertuisse cum Apolline de tripode accepimus. alter traditur, Nilo natus, Aegyptius: quem aiunt Phrygiis litteras conscripsisse. tertius est ex Idaeis Dactylis: cui inferias afferunt. quartus Iouis est, Asteriae, Latonae sororis; quem Tyrii maxime colunt; cuius Carthaginem filiam ferunt. quintus in India, qui Belus dicitur. sextus hic ex Alcumena, quem Iuppiter genuit, sed tertius Iuppiter: quoniam, ut iam docebo, plures Ioues etiam accepimus. quando enim me in hunc locum deduxit oratio; docebo, meliora me didicisse de colendis dijs immortalibus iure pontificio, &

maiorum more, capedunculis ijs, quas Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Laelius, quam rationibus Stoicorum. si enim uos sequar, dic, quid ei respondeam, qui me sic roget. si dii sunt, sunt ne etiam Nymphae deae? si Nymphae, Panisci etia, & Satyri. hi autem non sunt: ne Nymphae quidem deae igitur. at earum templa sunt publice uota, et dedicata. quid igitur? ne ceteri quidem ergo dii, quorum templa sunt dedicata. Age porro, Iouem, & Neptunum deum numeras: ergo etiam Orcus, frater eorum, deus, & illi, qui fluere apud inferos dicuntur, Acheron, Cocytus, Styx, Phlegeton, tum Charon, tum Cerberus dii putandi. at id quidem repudiandum: ne Orcus quidem igitur. Quid dicitis ergo de fratribus? Haec Carneades agebat, non ut deos tolleret, (quid enim philosopho minus conueniens?) sed ut, Stoicos nihil de dijs explicare, conuinceret. itaque insequatur. quid enim, aiebat, si ij fratres sunt in numero deorum, num de patre eorum Saturno negari potest? quod uulgo maxime ad occidentem colunt: qui si est deus, patrem quoque eius Caelum esse deum, consitendum est. quod si ita est, Caeli quoque parentes dii habendi sunt, Aeter, & Dies, eorumq. fratres, & sorores: qui a genealogis antiquis sic nominantur, amor, dolus, motus, labor, inuidencia, fatum, senectus, mors, cenebrae, miseria, querella, gratia, fraus, pertinacia, Parcae, Hesperides, somnia: quos omnes Erebo, & Noctenatos ferunt. aut igitur haec monstra probanda sunt, aut prima illa tollenda. Quid? Apollinem, Vulcanum, Mercurium, ceteros deos esse dices; de Hercule, Aesculapio,

seulapio, Libero, Castore, Polluce dubitabis? at hi qui multo magis ergo hi dii sunt habendi, mortalibus na- dem coluntur acque atque illi, apud quosdam etiam ti matribus.

EXPLANATIO

VT haec concedantur? quamvis haec concedantur, quae omittenda duxi, cum sint praeclara, & uerissimi- lia. SED eoque? Sophisticum argumentum, Id, quo uescimur non est deus, Cerere uescimur, Igitur Ce- res non est dea. NAM, quos? Constatatio commenti de hominibus in deos relatis. ILLATAE lampades? Her- cules sibi in monte Oeta instrui iussit, seque uiuim in eo combussit. IN domum aeternam? in Caelum. QVEM tamen? Argumentum ex circumstantia loci, Vlyxes conuenit Herculem apud inferos, Igitur non est in caelo. QVAMQVAM, quem? Homonymia in uoce Herculis excutitur. DE tripode? Pindarus Epharmostum Opuntium celebrans, dicit, Boni uiri, & sapientes a deo sunt: quomodo enim contra tridentem imbrasset claua Hercules, contra quem pugnatit argenteo arcu Phoebus. Interpres dicit, Hercules Phoebum consuluit, recti- tate fortes, abesse deum, & ideo non uaticinati, indignatus Hercules, tripodem abiecit in contemptum Apolli- nis. IDAEIS Daetylis: Ex perantiquis Maffei, & Sgonij libris, Daetylis, repositi; cum antea, Indigenis, lege- retur: secutus & opinionem optimi, atque eruditissimi uiri, Constantij Fanensis, & Strabonem lib. 10. qui scri- bit, unum ex Idaeis Daetylis Herculem fuisse nominatum, & Diodorum in VI. cuius haec sunt uerba. Primi in Cretam circa Idam habitauerunt Idaei Daetyli appellati. Et infra: Scribunt, unum ex eis appellatum Herculem. Haec Paullus pater. CAPE DVNCVLIS ijs, & id est uasculis ansatis, ut capi possint. Capis, inquit Pompeius, po- culi genus, dictum a capiendo. A capide uero fit deminutiuum Capedula, & Capeduncula. IN illa aureola ora- tione de religione scilicet, uti paulo superius. SI dii sunt? Sylogismus in condicionali. NYMPHE? Ocea- ni filias, & Tethyos esse dixerunt antiqui, quarum aliae creditae sunt caelestes, aliae terrestres, aliae flumiales, aliae marinae aliae stagnorum praesides. PANISCI? parui Panes. Panem Acheus poeta e caelo, & terra natu tradidit, quem denm Arcades maxime coluerunt. pars eius superior pingebatur homini per similes, inferior de formis & per similes brutis Orpheus Pana uniuersam naturam esse intellexit, quippe cuius elementa, & caelū sint membra, ut pater ex his uersibus:

Πάντα καλῶ κρατερόν, γέβρον, κόσμιο τὸ σύμπαν
Οὐρανόν, ἢ δὲ θάλασσαν, ἢ δὲ χθονά παραβασιλευν,
Καί πῦρ ἀθάνατον. τὰ δὲ γὰρ μέλη ἐστὶ τὰ πανός.

SATYRI? Plinius lib. VII. nat. hist. animalia Satyras esse scribit uelocissima, quae quattuor pedes haberent in subsolanis Indorum montibus humana effigie ac recte currentia. Diēti sunt Satyri a salacitate, ut ait Theo- criti enarrator cum σάβη tentigo sit & titillatio ad Venerem. Inter deos pastorum relati sunt. AGE porro? Aliud argumentum eiusdem formae. Si Iuppiter est deus, etiam Orcus & infernalta monstra erunt dii, sed infernalta monstra non sunt dii. Igitur nec Orcus. ORCVS? Dis est, quem Graeci Plutonem dicunt, ut paulo supra, libro II. Cicero in actione sexta in C. Verrem: Hic dolor erat tantus, ut Verres alter Orcus ue- nisse Ennam, & non Proserpinam alportasse, sed ipsam abripuisse Cererem uideretur. ACHERON, Coccy- tus, Styx, Phlegeton, & Quattuor flumiorum nomina sunt, qui in inferno esse traduntur, quibus defluentis animae perturbationes quattuor significantur. nam Acheron dicitur, quasi fundens dolorem, cum ἄχος Grae- ce, dolor Latine sit, & πῦρ, fluo. Cocytus uero significat Luctum, κακία Graece, lugeo Latine. Phlegeton, a Platone Pyriphlegeton dicitur, hoc est inflammatus. Styx, quasi στυγρός, odiosum significat. CHARON? Huius nomen laetitiam significat. Senex fingebatur nauta, qui accepta mercede quam quasi uaticum in os singulis mortuis includeret, animas trans quattuor turbulenta inferorum flumina trajiceret. CERBERVS? Inferorum cultos fingitur atrocissimus canis, qui accedentes animas cum blanditijs excipit, at egredi conantes deturbat: quare, si qua celeriter effugere conetur, illam repente corripit ac uorat. Lucretius Epicureus philo- sophus, quoniam haec reuocare a uoluptatibus uidebantur, non solum Cerberum de medio ex Epicureorum sententia sustulit, sed omnia protus illa, quae supplicium aliquod nefarijs hominibus apud inferos post mor- tem mitterentur: cum ita scribat in lib. III. sui poematis:

Cerberus, & furiae iam uero, & lucis egenus
Tartarus horriferos eructans faucibus aestus,

Haec neque sunt usquam, nec possunt esse profecta.

DE fratribus? filijs Saturni, & Rheae, quorum e numero Ceres. MINVS conueniens? quia philosophus religionem reip. fundamentum labefactare non debet. SI ij fratres? κλημαξ: Si Iuppiter & Neptunus fra- tres sunt dii, etiam pater eorum Saturnus est deus. Si Saturnus est deus, etiam pater eius Caelum erit deus. Si Caelum est deus, etiam parentes eius Aether &c. Sunt dii, Item sorores &c. GENEALOGIS? narratori- bus genitum, & originum. HESPERIDES? Fuerunt nymphe filiae Hesperii fratris Atlantis, quae, in Mau- ritania circa Atlantem ipsum conuersum in montem, habebant hortum con situm arboribus ferentibus mala aurea, eaq. custodiebat Ladon draco in somnis. sed, cum Hercules Eurysthei iussu illuc uenisset, custode ipso interempto, mala decerpit, & detulit ad Eurystheum. Sunt, qui dicant, Hesperidum hortum nihil aliud fuisse, quam Cornu, quod cum Hercules Acheloo flumini contra ipsum sub tauri forma proeliantia detrauxisset, & Hesperidibus nymphis dono dedisset, illae malis repleuerunt, & Cornucopiae appellarunt. Quamquam etiam non desunt, qui mala aurea Hesperidum dicant fuisse oues pulchras atque fecundas, quae ob id aurae nuncuparentur, quod pulcherrimum omnium rerum aurum sit. nam μήλα, ut poma, sic oues quoque apud Graecos

Graecos uocantur. AVT prima tollenda & deorum scilicet origines. Quid? Apollinem. & A pari cultu, & condicione deorum.

OCTIACERO

QVID Aristaeus, qui oliuae dicitur inuentor, Apollinis filius; Theseus, qui Neptuni; reliqui, quorum patres dii, non erunt in deorum numero? quid, quorum matres? opinor etiam magis, ut enim in iure civili, qui est de matre libera, liber est: item iure naturae, qui de dea matre est, deus sit necesse est. itaq. Achillem Astypalea insula sanctissimum colit, qui si deus est: & Orpheus, & Rhesus dii sunt, matre musa nati, nisi forte maritimae nuptiae terrenis anteponuntur, si hi dii non sunt, quia nusquam coluntur; quomodo illi sunt? uide igitur, ne uirtutibus hominum isti honores habeantur, non immortalibus: quod tu quoque, Balbe, uisus es dicere. quo modo autem potes, si Latonam deam, putas, Hecatem non putare, quae matre Asteria est, sorore Latonae? an haec quoque dea est? uidimus enim eius aras delubraq. in Graecia, sin haec dea est; cur non Eumenides? quae si deae sunt, quarum & Athenis sanum est, & apud nos, ut ego interpretor, lucus Furinae: Furiae deae sunt, specularitices, credo, & uindices facinorum, & scelerum. quod si tales dii sunt, ut rebus humanis intersint: Natio quoque dea putanda est: cui cum fauna circumimus in agro Ardeati, rem diuinam facere solemus. quae quia partus matronarum tueatur, a nascensibus Natio nominata est. ea si dea est, dii omnes illi, qui commemorabantur a te, bonos, fides, mens, concordia, ergo etiam spes, moneta, omniaque, quae cogitatione nobismet ipsis possumus fingere. quod si uerisimile non est; ne illud quidem est, haec unde fluxerunt. Quid autem dicis? si dii sunt illi, quos colimus, et accepimus; cur non eodem in genere Serapim, Isumq. numeremus: quod si facimus, cur barbarorum deos repudiamus: boues igitur, & equos, ibes, accipitres, aspidas, crocodilos, pisces, canes, lupos, feles, multas praeter ea belluas in deorum numero reponemus. quae si rejiciamus; illa quoque, unde haec nata sunt, rejiciemus. Quid deinde? Ino dea dicitur, quae Leucothea a Graecis, a nobis Matuta dicitur, cui sit Cadmi filia: Circe autem, & Pasiphae, e Perseide, Oceani filia, natae, patre Sole, in deorum numero non habebuntur? quamquam Circe quoque coloni nostris Circeiensis religiose colunt. ergo haec dea dicis. Quid Medae respondebis? quae duobus auis, Sole, & Oceano, Aeeta patre, matre Idyia procreata est. Quid huius Absyrti fratri, qui est apud Paonium Egeleus? sed illud nomen ueterum litteris usitatum: qui si dii non sunt; uereor, quid agat Ino. haec enim omnia ex eodem fonte fluxerunt. An Amphiarus deus erit, & Trophonius: nostri quidem publicani, cum essent agri in Boeotia deorum immortalium excepti lege censoria, negabant immortales esse illos, qui aliquando homines fuissent. sed, si sunt hi dii; est certe Erechtheus, cuius Athenis & delubrum uidimus, et sacerdotem, quem si deum facimus: quid aut de Candro dubitare possumus, aut de ceteris, qui pugnantibus pro patriae libertate ceciderunt? quod si probabile non est; ne illa quidem superiora, unde haec manant, probanda sunt. atque in plerisque ciuitatibus intelligi potest, augendae uirtutis gratia, quo libentius reip. causa periculum adire optimis, qui quae, uirorum fortium memoriam honore deorum immortalium conferatam. ob eam enim ipsam causam Erechtheus Athenis, filiaeq. eius in numero deorum sunt. itemq. Leonaticum est delubrum Athenis, quod Leonorion nominatur. Alabandenses quidem sanctius Alabandum colunt, a quo est urbs illa condita, quam quemquam nobilium deorum: apud quos, non inurbane Stratonicus, ut multa, cum quidam ei molestus Alabandum deum esse confirmaret, Hercule negaret, ergo, inquit, mihi Alabandus, tibi Hercules sit iratus.

EXPLANATIO

ARISTAEVS, qui oliuae dicitur inuentor, Apollinis filius; & Aristaeum Apollinis, & Cyrenes nymphae filium fuisse testatur Virgil. Georg. lib. iij. in his:

Mater Cyrene, mater, quae gurgitis huius

Ima tenes: quid me praeclara stirpe deorum;

Si modo, quem memoras, pater est Tymbraeus Apollo,

Inuisum fati genuisti?

At Cicero act. vi. in C. Verrem ita de Aristaeo scripsit: Aristaeus, qui, ut Graeci ferunt, Liberi filius, inuentor olei esse dicitur, una cum Libero patre, apud illos eodem erat in templo consecratus. THESEVS? Iocrates in Helenae laudatione, Theseus, inquit, dictus est Aegei filius, sed fuit Neptuni. Vt enim iure? Vbi non est connubium, partus sequitur matrem. Qui igitur hoc modo ex matre libera nascitur, liber est. Quid de dea? Dea matre natus est deus, Achilles est nauis matre dea, scilicet Thetide, igitur est deus. ASTYPALEA? insula maris Carpathij, patria Phalaridis tyranni. QUI? Achilles nymphae Thetidis filius, & Pelei. ORPHEVS? filius Calliopes musae, & Oeagri regis Thracij. MARITIMAE? quales Pelei, & marinae Thetidis. UIDE igitur? Honores, & memoria praestatur magnis uiris post mortem propter uirtutes ipsorum, non propter immortalitatem. EVMENIDES? infernae fitriae, Alecto, Tisiphone, & Megera. Quidam Noctis, & Acherontis filias fuisse Eumenides tradiderunt. At Orpheus in hymno, quem scripsit in Eumenides, illas Plutonis, siue Iouis terrestris, & Proserpinae filias dixit in his:

Δεῦτε μου Εὐμενίδες μεγάθυμοι Ἐρρι, Καὶ

Ἀγναὶ θυγατέρες μεγάλοιο Διὸς χθόνιοιο.

Φερσεφόνης τ' ἐρατῆς κέρης καλλιπλοκάμοιο.

Eumenides dictae sunt ab Oreste, quia Palladis consilio illas Argos profectus placasset, a benevolentia, & mansuetudine, cum prius ab indignatione, & furore, Erinyes dicerentur: ut scripsit Sophocles in Oedipode in Colono.

Ὡς φασ καλῶμεν Εὐμενίδας ἐξ Ὀμηρῶν

Στέρνων δέ χερα: τὸν ἰκέτην σωτήριον.

NATIO ꝛ quae praestit nascitibus. QVOS colimus ꝛ Si cultus facit deos, etiam ferae bestiae agentibus cultae erunt dij. SERAPIM ꝛ Sub forma tauri uiui, quem Serapim, hoc est sacrum taurum uocabant, Solem uenerabantur Aegyptij, & Lunam sub nomine Isidis. Isis praesca dicitur, inquit Eusebius, & hoc nomine appellatur Luna, quoniam sempiterna praescaq. sit. E Perseide Oceani filia, ꝛ Hesiodus in Theogonia sic scribit: Soli infatigabili peperit incluta Oceanis Perseis Circeam, & Aeetem regem. Aeetes autem filius Solis lucem dantis mortalibus, filiam Oceani duxit uxorem pulchram Idyiam. haec autem Pulchrisuram peperit Medeam. AEGIALEVS ꝛ litoralis interpretatur. fuit enim a sorore laceratus, & per litus dispersus, ut insectantis patris impetus retardaretur. CIRCEIENSES ꝛ Circeium promontorium incolentes. Retinet adhuc nomen: Romana fuit colonia. PVBLICANI, ꝛ qui publica uestigia conducebant. ERECHTEVS ꝛ genere Aegyptius, Athenis regnauit, docuitq. Atticos caerimonias, & mylteria Eleusinae Cereris translata ab Aegyptijs. hic immolauit filias Proserpinae prociuium salute. CODRVS ꝛ rex Atheniensium in bello contra Dorientes pro patria, & exercitu se deuouit. ATQVE in plerisque ꝛ Causa finalis, cur in deos relati sint uiri magni, uidelicet, ut & memoria eorum in posteris haereret diutius, & alios ad imitationem uirtutis & industriae incitaret. LEOCORION ꝛ id est caesarius a Leo patre puellarum sacrarium. Sudas ita scribit: Pestilentia laborabat Attica regio, cuius piaculum erat filiorum ingulatio. Leos quidam filias maectauit, urbemq. liberauit, & inde locus est dictus Leocorium. Erat autem in Ceramico. nomina filiarum haec, Pasithea, Theope, Eubulia. STRATONICVS ꝛ urbanissimus fuit citharoedus, cuius meminit Strabo, & Eustathius, Libyci Dionysij interpretes.

C I C E R O

ILLA autem, Balbe, quae tu a caelo, astrisque, ducebas, quam longe serpent, non uides: Solem deum esse, Lunamque: quorum alterum Apollinem Graeci, alteram Dianam putant. quod si Luna dea est: ergo etiam lucifer, ceteraque, errantes numerum deorum obtinebunt: igitur etiam inerrantes. cur autem arcus species non in deorum numero reponatur? est enim pulcher, & ob eam causam, quia speciem habeat admirabilem, Thaumante dicitur esse nata. cuius si diuina natura est; quid facies nubibus? arcus enim ipse ex nubibus efficitur quodam modo coloratus. quarum una etiam Centauros peperisse dicitur quod si nubes retuleris in deos, referendae certae erunt tempestates, quae populi Ritibus consecratae sunt. ergo imbres, nimbi, procellae, turbines sunt dij putandi. nostri quidem duces, mare ingredientibus, immolare hostiam fructibus consueuerunt. Tum si est Ceres a gerendo; ita enim dicebas: terra ipsa dea est, & ita habetur. quae est enim alia Tellus? sin terra: mare etiam; quem Neptunum esse dicebas: ergo et flumina, et fontes: itaque & fontis delubrum Marso ex Corsica dedicauit: & in augurum precatione Tiberinum, Spinonem, Anemonem, Nodinum, alia propinquorum fluminum nomina uidemus. ergo hoc aut in immensum serpet; aut nihil horum recipiemus, nec illa infimica ratio superstitionis probabitur. nihil ergo horum probandum est. Dicamus igitur, Balbe, oportet contra illos etiam, qui hos deos ex hominum genere in caelum translatos non re, sed opinione esse dicunt, quos anguste omnes sanctaeque ueneramur. Principio, Ioues tres numerantur ij, qui theologi nominantur: ex quibus primum & secundum natos in Arcadia, alterum patre Aethere, ex quo etiam Proserpinam na-

tam ferunt, & Liberum; alterum patre Caelo, qui genuisse Mineruam dicitur, quam principem & inuentricem belli ferunt: tertium Cretensem Saturni filium; cuius in illa insula sepulcrum ostenditur. Διόσκουροι etiam apud Graecos multis modis nominantur. primi tres, qui appellantur Anaces, Athenis ex Ioue rege antiquissimo, & Proserpina nati, Tricopatrens, Eubuleus, Dionysius. secundi Ioue tertio nati ex Leda, Castor, & Pollux. tertij dicuntur a non nullis Aleo, & Melampus, Emolus, Atrei filij, qui Pelope natus fuit. iam musae primae, quattuor, natae Ioue altero, Thelxiope, Mneme, Aoe, Melete. secundae Ioue tertio, & Mnemosine procretae nouem. tertiae Ioue tertio Pieriae natae, & Antiopa: quas Pieridas, & Pierias solent poetae appellare, ijdem nominibus, eodem numero, quo proximae superiores. cumq. tu Solem, quia solus esset, appellatum esse dicas: Soles ipsi quam multi a theologis proferuntur? unus eorum Ioue natus, nepos Aetheris: alter Hiperione: tertius Vulcano, Nili filio: cuius urbem Aegypti uolunt esse eam, quae Heliopolis appellatur. quartus is, quem heroicis temporibus Achanto Rhodi peperisse dicitur, auum Ialysi, Camiri, & Lindi. quintus, qui Colchis fertur Aeetam & Circeam procreauisse. Vulcani item, primus Coelo natus, ex quo Minerua Apollinem eum, cuius in tutela Athenas antiqui historici esse uoluerunt. secundus Nilo natus Opas, ut Aegyptij appellant. quem custodem esse Aegypti uolunt. tertius ex tertio Ioue, & Iunone, qui Lemni fabricae traditur praefuisse. quartus Menalio natus, qui tenuit insulas propter Siciliam, quae Vulcaniae nominabantur.

EXPLA-

EXPLANATIO

LLA autem Balbe ꝛ Argumentum a non distributo ad distributum, Si Sol est deus, & Luna, omnes stellae erunt dii. **CVR autem arcus** ꝛ Iris ab εἶπερ, id est loqui nomen habet, propterea quod nuncia est, auctore Plato ne in Cratylō. **THAVMANTE** ꝛ id est admiratione. E nubibus ꝛ quoniam Solis radij in nubibus repercussi, varios colores arcus expriment. **QVAVRM una** ꝛ Nephelē dicta, cōi nebularum nomine apud Graecos. **CENTAVROS peperisse dicitur** ꝛ De eorum ortu ita Hyginus: Ixion Leontei filius, conatus est Iunonem comprimere. Iuno Iouis iullu nubem supposuit, quam Ixion Iunonis simulacrum esse credidit, ex ea nati sunt centauri. superna parte homines, inferiore equi fuisse traduntur, Centauri ob id dicti, quod in taurorum morem in hostes impetum facerent, essentq. prope in re militari furibundi. Palaephatu tñ uult Centauros id nomē esse, quod tauros Catecenton, hoc est, pungentes feriebant: alioqui, inquit, nihil Tauri Centauris ipsis inest. **RITIBVS** ꝛ sacris caerimonijs. inde poetae fabulantur maectatas fuisse uictimas hiemi, & tempestatibus. **SPINONEM, Anemonē, Hodinum,** ꝛ Haec sunt nomina fluuiorum, siue riuiulorum non longe ab urbe Roma. **ERGO hoc aut** ꝛ Conclusio in disiunctiua, Aut innumerabilis erit deorum multitudo, aut omnis opinio de dijs erit falsa. **DICAMVS igitur** ꝛ De dijs, qui ex hominibus facti putantur. **QVI Theologi** ꝛ Theologi nomen commune est omnibus de dijs differentibus. **IN Arcadia,** ꝛ apud Azanes populos. **DIOSCVRIS** ꝛ Iouis filii, scilicet Castor, & Pollux, ἀδελφοί dicti unde ἀδελφες, id est reges nomen habent. **Διός** Iouis nomē est, & **νοῖπος** Graece, Latine filius & puer. **THELIOPE** ꝛ id est, suauiloqua. **MNEME,** ꝛ memoria. **AOEDE,** ꝛ cantilena. **MELITE,** ꝛ meditatiō. **PIERIAE** ꝛ apud Pieriam Thraciae locum. **HELIOPOLIS** ꝛ Solis ciuitas. **RHODI** ꝛ apud Rhodū, urbem, & insulam eiusdem nominis. **CYSTODEM** ꝛ tutelarem deum. **LEMNI** ꝛ insula est in mari Aegeo, Vulcano sacra. **FABRICAE** ꝛ artificio cuique.

CICERO

MERCVRIVS unus Coelo patre, Die matre natus: cuius obscenius excitata natura traditur, quod ad spectu Proserpinae commotus sit. alter Valentis & Phoronidis filius, is, qui sub terris habetur: idem Trophonius. tertius Ioue tertio natus, & Maia, ex quo & Penelopa Pana natum ferunt. quartus Nilo patre, quem Aegyptij nefas habent nominare. quintus, quem colunt Phaeneatae, qui et Argum dicitur interemisse, ob eamq. causam Aegypto praefuisse, atque Aegyptijs leges & litteras tradidisse. hunc Aegyptij Thoth appellat: eodemq. nomine anni primus mensis apud eos uocatur. Aesculapiorum primus Apollinis, quem Arcades colunt, qui specillum inuenisse, primusq. uulnus dicitur obligauisse. secundus secundi Mercurij frater. is fulmine percussus, dicitur humatus esse Cynosuris. tertius Arsiippi, & Arsiinae: qui primus purgationem alui, dentisq. euulsionem, ut ferunt, inuenit: cuius in Arcadia non longe a Lusio flumine sepulcrum, & lucus ostenditur. Apollinum antiquissimus is, quem paullo ante ex Vulcano natum esse dixi, custodem Athenarum. Alter Coribantis filius, natus in Creta: cuius de illa insula cum Ioue ipso certamen fuisse traditur. tertius Ioue tertio natus & Latona: quem ex Hyperboreis Delphos ferunt aduenisse. quartus in Arcadia, quem Arcades Nomionem appellant, quod ab eo se leges ferunt accepisse Dianae item plures: prima Iouis, & Proserpinae, que pinnatum Cupidinem genuisse dicitur. secunda notior: quam Ioue tertio & Latona natam accepimus. tertiae pater Vpis traditur, Glauce mater. eam Graeci saepe Upim

paterno nomine appellant. Dionysios multos habemus: primum e Ioue, et Proserpina natum: secundum Nilo, qui Nysam dicitur interemisse: tertium Caprio patre; eumq. regem Asiae praefuisse dicunt; cui Sabazea sunt insituta: quartum Ioue & Luna, cui sacra Orphica putantur confici: quintum Niso natū, & Thione; a quo Trieterides constitutae putantur. Venus prima Caelo & Die nata; cuius Elide delubrum uidemus. altera spuma procreata; ex qua & Mercurio Cupidinem secundum natum accepimus. tertia Ioue nata, & Dione; quae nupsit Vulcano, sed ex ea & Marte natus Anteros dicitur. quarta Syria, Tyroq. concepta: quae Astarte uocatur: quam Adonidi nupsisse traditum est. Minerva prima, quam Apollinis matrem supra diximus. secunda orta Nilo, quam Aegyptij Saitae colunt. tertia illa, quam Ioue generatam supra diximus. quarta Ioue nata & Coriphe Oceani filia: quam Arcades Coriam nominant, & quadrigarum inuentricem ferunt. quinta Pallantis: quae patrem dicitur interemisse, uirginitatem suam uiolare. conaitem: cui pinnarum talaria affingunt. Cupido primus. Mercurio & Diana prima natus dicitur: secundus Mercurio & Venere secunda: tertius quidem est Anteros Marte & Venere tertia. atque haec quidem, atque eiusmodi ex uetere Graeciae fama collecta sunt. quibus intelligis resistendum esse, ne perturbentur religiones. nostri autem non modo haec non refellunt, uerum etiam confirmant, interpretando. quorsum quidque pertineat.

EXPLANATIO

PHAENEATAE, ꝛ Arcades, a Pheneo opido. **THOTH** ꝛ Eusebius inquit, Quem Aegyptij Thoth, Alexandrini Thoth, Graeci Mercurium appellat. idem sentit etiam Sudas. **ANNI primus mensis** ꝛ Primus mensis Aegyptiorum θωθ copulatur ab Aetio cum nostro Septembri. Nam Aegyptij annum inchoant a quarto Kal. Septem-

Septembris. CYNOSURIS? Cynosura, inquit Stephanus, summitas quaedam est Arcadiae, nomen habuit a Cynosuro Mercurio. HYPERBOREI? populi super boream. NOMIONEM? legum tributorem. NYSAM? Eurysthei filiam, & Dionysij nutricem. CVI Sabazea sunt instituta: Ex perantiquo Sigonij libro, meliore, ut opinor sententia, Cui Sabazea, repositi: pro, in honorem cuius: cum antea, Cuius Abazea, legeretur. Sabazius autem Dionysij cognomen fuit: unde Sabazia sacra, cuius nominis etymologiam Sudas explanat in uerbo *σεβάζιος*, & Aristophanis interpres in *Ambus*, & *Vespis*. Ut fortasse apud Macrobi. lib. I. Saturn. legendum sit, Sabazium, non Sebadium. Haec Paullus pater. ORPHICA? ab Orpheo instituta, in quibus ipse postea dilaceratus est. TRIETERIDES? ita dicuntur Bacchichae sollempnitates tertio quoque anno celebratae. ANTE-ROS? amor oppositus, contrarius. SAITAE? Incolae Sais urbis Aegypti. PINNARVM talaria? pinnata calciamenta ad talos. ATQVE haec quidem? Epilogus, monens, quorsum ista tam longa commenticiorum numinū enumeratio pertineat. PERTVRBENTVR? propter multitudinem deorum, quib. eadem nomina tribuuntur.

CICERO

SED eo iam, unde hic digressi sumus, reuertamur. Nam censet igitur subtiliore ratione opus esse ad haec refellenda? nam mentem, fidem, spem, uirtutem, honorem, uictoriam, salutem, concordiam, ceteraq. eiusmodi rerum uim habere uidemus, non deorum aut enim in nobismet in sunt ipsi, ut mens, ut fides, ut spes, ut uirtus, ut concordia: aut optandae nobis sunt, ut honos, ut salus, ut uictoria, quarum rerum utilitate uideo etiam consecrata simulacra, quare autem in his uis deorum insit, tum intelligam, cum cognouero, quo in genere, uel maxime est fortuna numeranda: quam nemo ab inconstantia, & temeritate se iungit: quae digna certe non sunt deo. Tam uero quid nos illa delectat explicatio fabularum, & enodatio nominum? exsecutum a filio Coelum, uinctum iridem a filio Saturnum, haec, & alia generis eiusdem ita defenditis, ut ij, qui ista finxerunt, non modo non insani, sed etiam sapientes fuisse uideantur. in enodandis autem nominibus, quod miserandum sit, laboratis. Saturnus, quia se saturat annis: Mauors, quia magna uertit: Minerva, quia minuit, aut quia minatur: Venus, quia uenit ad omnia: Ceres a gerendo, quam periculosa consuetudo? in multis enim nominibus haerebitis, quid Veioni facies? quid Vulcano? quam, quoniam Neptunum, a nando, appellatum putas, nullum erit nomen, quod non possis una littera explicare, unde ductum sit. in quo quidem magis tu mihi natate uisus es, quam ipse Neptunus. Magnam molestiam suscepit, & minime necessariam primus Zeno, post Cleanthes, deinde Chrysippus, commenticiorum fabularum reddere rationem, uocabulorum, cur quidque ita appellatum sit, causas explicare, quod cum facies, illud profecto confitemini, longe aliter rem se habere, atque hominum opinio sit: eos enim, qui dii appellantur, rerum naturas esse, non figuras deorum, qui tantus error fuit, ut perniciosius etiam rebus non modo nomen deorum tribueretur, sed etiam sacra constituerentur. Febris enim sanum in Palatio, & Orbonae ad aedem Larum, et aram Malae Fortunaes Esquilij consecratam uidemus, omnis igitur talis a philosophia pellatur error, ut, cum de dijs immortalibus disputemus, dicamus digna dijs immortalibus: de quibus habeo ipse quid sentiam, non habeo autem quid tibi assentiar. Neptunum esse dicis animum cum intelligentia per mare pergetem, idem de Cerere, istam autem intelligentiam, aut maris, aut terrae non modo comprehendere animo, sed ne suspicione quidem possum attingere, itaque aliunde mihi quaerendum est, ut, & esse deos, & quales sint, discere possim, quam quales tu eos esse uelis. Videamus ea, quae sequuntur: primum, deorum ne prouidentia mundus regatur: deinde, consulant ne dii rebus humanis, haec enim mihi ex tua partitione restant duo, de quibus, si uobis uidetur, accuratius differendum puto. Mihi uero, inquit Velleius, ualde uidetur, nam & maiora exspecto: et his, quae dicta sunt, uehementer assentior. Tum Balbus, Interpella te, inquit, Cora, nolo, sed sumemus tempus aliud: efficiam profecto, ut fateare.

EXPLANATIO

NAM mentem? Mens, Fides &c. non sunt dii, primo, quia tantum sunt rerum appellationes. Secundo uel in nobis sunt, uel expetendae sunt. TUM intelligam? Prius cognosci, seu disci oportet, quae intelligi uolumus. FORTUNA? Argumentum a conditione Fortunae, Inconstantia non cadit in deum, Fortuna est inconstans, igitur non est Dea. IAM uero quid? Vituperatio scrupulosae explicationis fabularum, & nominum deorum. ENODATIO? originatio, quam Graeci etymologiam dicunt. QUID Veioni facies? quid Vulcano? & ac si dicat, horum etymologia obscura est. Sunt tamen, qui Veionem paruum Iouem interpretentur, sicut Iouem carentem facultate iuuandi. MAGIS tu mihi? Locus in ineptum ductorem nominum. Eo s enim, qui? Duplex ratio ad refellendos confictos deos. Prior: Venus, Neptunus, &c. sunt appellationes rerum naturas, non deorum figuras exprimentes. Altera: Res etiam perniciosae pro dijs habentur, contra naturam dei. IN Palatio, & Orbonae ad aedem Larum, & Ex peruentis Maffei, & Sigonij libris hunc locum ex deprauata ad ueram lectionem restitui: cum haec duo uerba, Orbonae ad, in impressis libris non essent, de Orbona quidem meminit Plinius lib. 2. cap. 7. Haec Paullus pater. Orbonae: inducentis orbitatem, id est priuationem rerum carissimarum, ut oculorum, & filiorum, ceterorumq. id genus. UT cum de dijs? de Deo non nisi reuerenter, & pie disputandum. VIDEAMVS ea, quae? Transit ad posteriores duas partes disputationis. RESTANT duo? uidelicet, an prouidentia diuina gubernetur mundus, an etiam consulat rebus humanis.

C I C E R O

sed.

multa desunt

Nequaquam istuc istac ibit: magna inest certatio.
 Nam ut ego illis supplicarem tanta blandiloquentia?
 Niobe parum ne ratiocinari uideatur, & sibi ipsa nefariam pestem machinari? illud uero quam callida ratione,
 Qui uult quod uult, ita dat se res ut operam dabit: qui est uersus omnium seminator malorum:
 Ille transuersa mente mihi hodie tradidit repagula,
 Quibus ego iram omnem recludam, atque illi perniciem dabo;
 Mibi maerores, illi luctum; exitium illi, exsiliū mihi. hanc uidelicet rationem, quam uos diuino beneficio homini solum tributam dicitis, bestiae non habent. uides ne igitur, quanto munere deorum simus affecti? atque eadem Medea patrem, patriamque sugiens;
 Postquam pater appropinquat, iamque, paene, ut comprehendatur, parat,
 Puerum interea obruncat, membraque articulatim diuidit,
 Perque agros passim dispergit corpus: id ea gratia,
 Ut, dum nati dissipatos artus captaret parens,
 Ipsa interea effugeret; illū ut maeror tardaret sequi,
 Sibi salutem ut familiari pareret paricidio.
 huic ut scelus, sic nec ratio quidem defuit. Quid ille, funestas epulas fratri comparans, non ne uersat huc, & illuc cogitatione rationem?
 Maior mihi moles, maius miscendum est malum,
 Qui illius acerbum cor contundam, & comprimam.

nec tamen ille ipse est praetereundus, qui non sat habuit coniugem illexisse in stuprum: de quo recte & uerissime loquitur Atrous:

Quod re in summa summum esse arbitror.
 Periculum, matres coinquinari, regiam
 Contaminari stirpem, admisceri genus.
 at id ipsum quam callide, qui regnum adulterio quaereret?

Adde (inquit) huc, quod mihi portento caelestem pater

Prodigium misti regni stabilimen mei,
 Agnum inter pecudes aurea clarum coma,
 Quondam Thyestem clepere ausum esse e regia:
 Qua in re aditricem coniugem cepit sibi.
 uidetur ne summa improbitate usus non sine summa esse ratione? Nec uero scena solum referta est his sceleribus, sed multo uita communis paene maioribus. sentit domus uniuscuiusque, sentit forum, sentit curia, campus, focij, prouinciae, ut, quemadmodum ratione recte fiat, sic ratione peccetur; alterum & a paucis, & raro, alterum & saepe, & a pluribus: ut satius fuerit, nullam omnino nobis a dijs immortalibus datam esse rationem, quam tanta cum pernicie datam. ut uinum aegrotis, quia prodest raro, nocet saepissime, melius est non adhibere omnino, quam, spe dubiae salutis, in apertam perniciem incurrere: sic haud scio, an melius fuerit, humano generi motum istum celerem cogitationis, acumen, sollertiam, quam rationem uocamus, quoniam pestifer a sint multis, ad modum paucis salutaria, non dari omnino, quam tam munifice & tam large dari. quam obrem, si mens, uoluntasque diuina ideo consulit hominibus, quod ijs largita est rationem: ijs solis consuluit, quos bonarum ratione donauit: quos uidemus, si modo ulli sunt, esse paucos. non placet autem, paucis a dijs immortalibus esse consultum: sequitur ergo, ut nemini consultum sit.

EXPLANATIO

SED? Plurima hic desiderantur pertinentia ad illam disputationem, An prouidentia diuina gubernetur mundus. Quae uero sequuntur ad reliquam illam disputationem pertinent, An dii consulant rebus humanis: quae etiam pars mutila est. NEQUAquam istuc istac ibit? Verba sunt Niobes apud poetam tragicam, & difficilem habent sensum, quoniam praecedentia desunt. MAGNA inest certatio? ac si dicat Niobe: Multum distat animus meus ab eo, quod suadetis, ut scilicet blanda, & humili oratione supplicem Latonae, numquam id faciam, quod meo stemmati non conuenit. sum enim Tantali, ac Taugetes Atlantidos filia, nec non, & uxor Amphionis Thebarum regis. PARVM ne ratiocinari? ostendit Corta ratiocinationem & consilium fuisse aliquando scelerum & flagitiorum causam, idque primum Niobes exemplo, deinde Medae, Atrai, & Thyestis. LLVD uero quam callida ratione,? Subaudi, dictum est. Transit Corta ad Medae sententiam callida ratione subnixam. QVI uult quod uult? Haec sunt uerba Medae nullum in rebus discrimen ponentis. Sensus est: Quaecumque res nobis desiderata fuerit, eueniet, dummodo quantum fati est, studeamus ut eueniat. QVI uersus? Notat Corta hoc Medae nefarium consilium esse scelerum omnium originem. ILLI? scilicet Iason, qui repudiata Medea superinduxerat Creusam Creontis Corinthiorum regis filiam, ut distule narrat Euripides in Medea. MIHI? Medae scilicet: eius enim haec sunt uerba. REPAGULA, quibus &c.? Praebuit, inquit, causam, ut ira penitus exardescam. Repagula: instrumenta firmiter occludendis foribus apta, Plaut. Cistel. Occludite aedes pessulis repagulis. HANC uidelicet rationem,? Verba sunt Cortae, damnantis humanum consilium, & rationem, quibus ueluti peculiaribus muneribus deum hominibus consuluisse tradebant Stoici. VIDES ne igitur? Ironia. MEDEA? Haec Aetiae patris iram metuens, fugit, & per uiam Absyrti fratris discepta membra dispergit, quo maerore confectus pater minus acceleret. PATRIAM? Colchos.

Colchos. **FUGIENS** ? Argonautas secuta, & aureo uellere exportato. **POSTQVAM pater &c.** ? Septenarium hunc uersum oportet esse, quemadmodum & sequentes reliqui sunt. ut autem legitur, pedibus recte distinguui non potest. neque secus habent antiqui libri. sed animaduerti, uersum, nulla mutatione, restitui posse, si ita scribatur, ut incipiat a uerbo, Appropinquar, & duae antecedentes dictiones, tamquam superioris uersus extremae, seiuuantur. Haec Paulus pater. **QV ID ille** ? Atreum innuit, qui fratri apposuit coctos filios, & paternum pectus effecit filiorum sepulcrum. **MAIOR mihi moles** ? uerba sunt Atrei, quibus ostenditur illius ratiocinatio. ut ratiocinatio non diuino munere hominibus data ostendatur, cum tanti sceleris causa fuerit. **ILLE** ? Thyestes, qui etiam in primis culpandus est ob calliditatem, qua usus est in corrupenda Aerope Cressa Atrei fratris uxore, & qua suscepit filios, quos demum inscius comedit. **SCENA** ? poetarum libri. Amplificatio malorum rationis. **CAMPVS** ? Martius. **SOCI** ? amici Romanae reipub. quos auari quaestores, & praetores spoliabant. **PROVINCIAE** ? gentes Romanis legibus parentes. **ALTERVM** ? recta facere. **QV AM OBREM** ? si ? Conclusio repetens argumentum, Dona dei salutaria non contingunt paucis tantum. Ratio bona per paucis tantum contingit. Igitur ratio bona non est donum salutare. **Si modo ulli sunt** ? ita dicit, quia, ut paullo infra, aestimat Cotta, rationem a deo tantum pendere, bonam autem rationem, aut non bonam, ab hominibus.

C I C E R O

HVIC loco sic soletis occurrere, non iccirco non optime nobis a dijs esse prouisum, quod multi eorum beneficio peruerse uterentur: etiam patrimonij multos male uti, nec ob eam causam eos beneficium a patribus nullum habere. Quis istuc negat? aut quae est in collatione ista similitudo? nec enim Herculi Deianira nocere uoluit, cum ei tunicam sanguine Centauri tinctam dedit; nec prodesse Pheraeo Iasoni is, qui gladio uomicam eius aperuit; quam sanare medici non poterant. multi enim, etiam cum obesse uellent, profuerunt; & cum prodesse, obsuerunt. ita non sit, ex eo, quod datur, ut uoluntas eius, qui dederit, appareat: nec, si is, qui accepit, bene utitur, iccirco is, qui dedit, amice dedit. quae enim libido, quae auaritia, quod facinus aut suscipitur, nisi consilio capto; aut sine animi motu, & cogitatione, id est ratione, perficitur? nam omnis opinio ratio est, & quidem bona ratio, si uera; mala autem, si falsa est opinio. sed adeo tantum rationem habemus, si modo habemus: bonam autem rationem, aut non bonam, a nobis non enim, ut patrimonium relinquitur, sic ratio homini est beneficio deorum data. quid enim potius hominibus dedissent, si is nocere uoluissent? iniustitiae autem, in re perantiae, timiditatis quae semina essent, si his uitis ratio non subesset? Medea modo, & Atreus commemorantur a nobis, heroicae personae, in ita, subductaq. ratione, nefariae scelerum meditantes. quid leuitates comicae, parum ne semper in ratione uersantur? parum ne subtiliter disputat ille, in Eunicho?

Quid igitur faciam?
Exclusit, reuocat: redeam? non, si me obsecret.
 ille uero in Synephebis Academicorum more contra communem opinionem non dubitat pugnare ratione, qui in amore summo, summaq. inopia sua esse dicit,
 Parentem habere auarum, illepidum, in liberis
 Difficilem, qui te nec amet, nec studeat tui.

EXPLANATIO

HVIC loco ? Praeoccupatio de abusu rationis. **Occurrere** ? repugnare. **Quis istuc negat?** ? Concessio. Sint quidem res bonae, & malae abusu obnoxiae: sed incertum tamen est, cum omnia facinorosa ratione perficiantur, boni ne, an mali causa data sit ratio. **Aut quae est &c.** ? nulla inquit intercedit similitudo, ut de eisdem idem ferri possit iudicium. **Deianira** ? filia fuit Oenei regis Aetoliae, ac uxor

L 2 Herculis.

Herculis. Nec nocere uoluit & ac si dicat, Noluit nocere quae Nexi uerbis decepta uoluit uirum ad amorem reuocare. Quare nec ratio hominibus data potest ostendere benignitatem diuinam, cum ea quae dantur non possint arguere ipsius dantis, id quod etiam persequenti opposito exemplo manifestum est. **PHERAEO** Iasoni & Iasoni Phere Thessaliae opidum uexanti. **VOMITAM** & tumorem purulentum, ita dictum a uomendo, cuius aperitio profuit tyranno, sed qui uulnerauit, uoluit interficere, non sanare. **AMICE** & animo amico. **QVAE ENIM LIBIDO** & Enumerat multa mala, quae ratione proficiuntur: ut eo magis ostendat rationem fuisse munus perniciosum. **OMNIS OPINIO RATIO EST** & hoc est insitam habet rationem, siue motum & cogitationem. **SI FALSA EST OPINIO** & Satis est Si falsa: & fortasse ita scripsit Cicero, **SED A DEO TANTUM** & Distinctio rationis, ut alia sit simplex, qualis a deo datur, alia cum bono, & malo commixta, qualis in homine bene uel male agendo existit. **SI MODO HABEMUS** & rationem scilicet diuinam. Loquitur uti Academicus, cuius decretum est omnia in dubium reuocare. **NON ENIM UT PATRIMONIUM** & Aestimatur Cotta bonam, aut malam rationem non pendere a deo, consequens ergo erat humanam rationem non esse habendam loco beneficii, ut patrimonium, & de dissimilibus idem iudicium ferri non posse. **QUID ENIM** & ostendat Cotta humanam rationem etiam uideri posse deorum maleficio datam, si ratione hominibus consulere dicantur, idq. confirmat exemplis iam allatis et tragico carmine. **HEROICAE** & regiae. **INITA**, *subductaq. ratione* & accurata meditatione. Translatio ab Arithmetico, qui ratiocinando, tum addunt calculos, tum subtrahunt, ut summam reliqui faciant. **PARVM NE SUBLITER** & Exempla amatorum ratione secum pugnantium, id est deliberantium contra rationem de dolis. Ut cum alter dicit, suauis esse, habere parentem auarum, fatetur quidem bonum esse, carere pecunia, sed nihilominus cogitat de fallendo patre, quo pecuniam comparet. **IN EUNUCHO** & nomen est Comoediae Terentij, in qua Phaedia consultat, an exclusus debeat redire ad Thaidem. **IN SYNEPHEBIS** & comoedia est Caecilij Statij, de qua alibi diximus. **O PRAECLARUM MUNUS DEORUM** & Italice loquitur Cotta. **UT PHORMIO** & Terentianus seruus possit gloriari, ut herum suum senem fallacis, ceciderit. **INSTRCTA** & parata. **SED EXEAMUS** & Transit Cotta a commentationibus poeticis ad exempla forensi, quibus demonstrat homines magnos, & sollertes ratione peccare. **ITB SESSUM** & tamquam iudices grauissimas causas cognituri. **QVAESTIONES** & inquisitiones, iudicia. **AURI TOLOSANI** & Huius meminit Gellius in III. dicens: Nam cum opidum Tolosam Q. Caepio consul diripisset, multumq. auri in eius opidi templis fuisset, quisquis ex ea diteptioe aurum attingit, misero cruciabilq. exitu perijt. **CONIVRATIIONIS IUGURTHINAE** & Sallustius Iugurthae regis Numidiae corruptelas exponens, Romanorumq. notans auaritiam, ita dicit: C. Manlius trib. pleb. rogatione ad populum promulgat, uti quaeretur in eos, quorum consilio Iugurtha senatus decreta neglexisset, quique ab eo in legationibus & imperijs pecunias accepissent, item qui de pace, aut bello cum hostibus pactiones fecissent. **TVBVLTI** & De eodem dictum est in secundo de Fin. **ROGATIONE PEDUCAEAE** & id est, lege, seu per legem Peducaei. **PECVLATVS** & pecuniae publice furta. **TESTAMENTORVM ETIAM** & Id est, exquisitiones nouae criminis commissi in testamentis. **ILLA ACTIO, OPE** & Competit haec actio aduersus eum, qui opem, & consilium ad furripiendum rem alienam praestat. **PANDECT. LIB. XLVII. TIT. II. LIN. FURT.** **MANDATI** & Haec actio datur aduersus eum, qui mandatum susceptum non expedit, uel perperam gessit &c. **PANDECT. LIB. XVII. TIT. I. SI QUIS.** **PRO SOCIO** & Actio pro socio datur socio aduersus socium in hoc, ut fiat collatio atque diuisio rei, lucri, damni, &c. **INSTITU. LIB. III. TIT. XXVI. DE SOCIETATE:** **FIDUCIAE** & alienationes factae interposita fide restitutionis. **REI PRIUATAE** & Lege Lactoria concedebatur de re priuata agere iudicio publico, quod indignum esse Cic. existimat, quod satis sit priuata priuatum componi, quam diuulgari. **LEGE LAETORIA:** & Sic ex antiquis nummis, & fastis Capitolinis, non, Lectoria, ut antea, legendum est. Haec Paullus pater. **LEGE LAETORIA:** lata a Lactorio, de hac lege meminit idem Cicero in III. de Off. & Iulius Capitolinus in M. Antonino. **EYERRICVLVM** & expurgatio. Translatio ab euericulo piscatorum, quod est quoddam genus retis a uerrendo dictum: nam, quicquid piscium inuenerit, euerit. **IUDICIUM DE DOLO, MALO** & de his, qui dolose aliquid egissent, quod mereatur poenam. **TVM TENERI** & tunc consistere, committi.

CICERO

HANC igitur a dijs immortalibus tantam arbitramur malorum sementem esse factam: si enim rationem hominibus dii dederunt: & malitiam dederunt. est enim malitia, uersuta, & fallax nocendi ratio. ijdem autem dii fraudem dederunt, facinus, ceteraque, quorum nihil nec suscipi sine ratione, nec effici potest. ut inam igitur, ut illa anus optat,

- ne in nemore Pelio securibus

Caesa cecidisset abiogna ad terram trabes; sic istam calliditatem hominibus dii ne dedissent, qua per pauci bene utuntur: qui tamen ipsi saepe a male utentibus opprimuntur. innumerabiles autem improbe utuntur: ut donum hoc diuinum rationis, & consilij, ad fraudem hominibus non ad bonitatem imper-

titum esse uideatur. Sed urgetis identidem, hominum esse istam culpam, non deorum: ut si medicus grauatem morbi, gubernator uim tempestatis accuset. et si hi quidem homunculi, sed tamen ridiculi. quis enim te adhibuisset, dixerit quispiam, si ista non essent? contra deum licet disputare liberius. In hominum uitis ais esse culpam. eam dedisses hominibus rationem, quae uita, culpamq. excluderet. ubi igitur locus fuit errori deorum? nam patrimonium, spe bene tradendi, relinquimus: qua possumus falli: deus falli qui potuit? an ut Sol, in currum cum Phaerontem filium sustulit? aut Neptunus, cum Theseus Hippolytum perdidit, cum ter optandi a Neptuno patre habuisset potestatem? poetae ista sunt: nos autem philo-
sophi

sophi esse uolumus, rerum auctores, non fabularum. atque ij tamen ipsi dij poetici, si scissent perniciofa fore illa filijs, peccasse in beneficio putarentur. & si uerum est, quod *Aristo Chius* dicere solebat, nocere audientibus philosophos ijs, qui bene dicta male interpretarentur: posse enim a *Sotos* ex *Aristippi*, acerbos e *Zenonis* schola exire: prorsus, si, qui audierunt, uitiiosi essent discessuri, quod peruerse philosophorum disputationem interpretarentur; tacere praestare philosophis, quam ijs, qui se audissent, nocere: sic, si homines rationem bono consilio a dijs immortalibus datam, in fraudem, malitiamq. conuertunt; non dari illam, quam dari humano generi, melius fuit. ut si medicus sciat, cum aegrotum, qui iussus sit unum sumere, meracius sumpturum, statimq. periturum, magna sit in culpa: sic uestra ista prouidentia reprehendenda, quae rationem dederit ijs, quos scierit ea peruerse, & improbe usuros. Nisi forte dicitis eam nescuisse. utinam quidem. sed non audebitis: non enim ignoro, quanti eius nomen putetis. sed hic quidem locus concludi iam potest, nam, si stultitia, consensu om-

nium philosophorum, maius est malum, quam si omnia mala, & fortunae, & corporis ex altera parte ponantur; sapientiam autem nemo asequitur: in summis malis omnes sumus, quibus uos optime consultu a dijs immortalibus dicitis. nam, ut nihil interest, utrum nemo ualeat, an nemo possit ualere: sic non intelligo, quid intersit, utrum nemo sit sapiens, an nemo esse possit. Ac nos quidem nimis multa de re apertissima: *Telamon* autem uno uersu locum totum conficit, cur dij homines negligant: Nam si curent, bene bonis sit, male malis: quid nunc abest.

debeant illi quidem omnes bonos efficere, si quidem hominum generi consulebant: sin id minus, bonis quidem certe consulere debebant. cur igitur duos *Scipiones*, fortissimos, & optimos uiros, in Hispania *Poenus* oppressi: cur *Maximus* extulit filium consularem? cur *Marcellum Hannibal* interemit? cur *Paullum Cannae* sustulerunt? cur *Poenorum* crudelitati Reguli corpus est praebitum? cur *Africanum* domestici parietes non texerunt?

EXPLANATIO

QVORVM nihil nec? Nulla fraus potest suscipi sine ratione. Igitur ratio est causa efficiens fraudis. **V**TINAM igitur? Homines plerumque in columitatibus transferunt culpam in causas remotas. sicut mulier haec causam transfert in sectionem lignorum, ex quibus nauis erat fabrefacta, in qua aduecti fuerunt *Argiui*. lib. II. *Rhet. ad Heren.* **V**T illa anus? Nutrix *Medeae* apud *Euripidem* in principio *Medeae* tragoediae uerba haec enunciat, quae *Ennius* sic imitatus est: Vinam ne in nemore *Pelio* caelae ad terram cecidissent abiegnae trabes. nam numquam hera errans hanc molestiam nobis exhiberet, *Medea* animo aegra, amore saeuo facia. Idem citat *Cicero* etiam in 1. de *Fin.* **S**ED urgetis identidem, & Repetit priorem occupationem contra abusum rationis. **E**T si bi quidem homunculi? Sensus est: Etsi medici, & nauium gubernatores, dum uim morbi, aut tempestatis accusant, ostendunt se esse homunculos, imbecillium scilicet uirum, sunt tamen ridiculi, quod id muneris profiteantur, quod praestare non possunt: ij enim grauitatem morbi prauidere debuerunt, qui non adhiberentur, nisi grauitas morbi id exigeret. Et eadem ratio intendi potest in deos, inquit *Cotta*, & multo quidem libetius, quia in dijs nullus inesse debeat error. in tradendo munere, qui inesse potest homini in relinquendo patrimonio. Cum ergo *Stoicus* diuini muneris assertor, dicit culpam non esse in munere, sed in hominum uitiis; debuit certe hominibus rationem eam pro munere accersire, quae uitia, & culpam excluderet; si quidem deum decet effectum muneris prauidere: alioquin diuinus error nullam excusationem habere poterit. Si ista non essent? Id est, si morbus non esset, quid opus esset medicis? &c. **E**AM dedistes? Somniat talem rationem, quae in fraudem, aut errorem pullum illici possit. **A**N ut Sol, & *Po* tuit ne, inquit, decipi deus in tradenda hominibus ratione, ut *Sol* deceptus est, cum *Phaetonti* filio regendum currum credidit, quo ille non recte usus est: **A**U T *Neptunus*? Nota est fabula *Hippolyti* filii *Thesei*. Si uerum est? tamquam *Academicus* nihil affirmat *Cotta*, sed affirmata reuocat in dubium. **A**RISTO Chius? *Cicero* in ultimo de *Fin.* *Aristo*, inquit, concinnus, & elegans, sed ea, quae desideretur a magno philosopho grauitas in eono iuit. **N**OCERE audientibus? Etiam bona doctrina maleuolis noxia est, qui, quod dextra traditur, sinistra accipiunt. **A**SOTOS? heluones, & luxuriosos. **A**RISTIPPI, qui in uoluptate statuit summum bonum. **P**RAESTARE? magis conuenire. **V**T si medicus? exemplo *Medici* non ignorantis exitum *Medeae*, neque animum aegroti, qui peruerse usus sit medicina, ostendit, deos, si sciuerint rationem hominibus obfutura, inculpandos esse. **V**INVM? scilicet mixtum aqua. **M**ERACIUS? id est, purum, & fortius. **S**IC uestra? **C**onclusio repetens argumentum haecenus tractatum. Qui dat quod sit nociturum esse reprehendendus est, **P**rouidentia siue deus dedit rationem, qua sciuit homines perniciose utatos esse ad exitum suum, Igitur deus reprehendendus est. **H**IC locus? haec disputatio *An* scilicet dij consulant rebus humanis. **N**AM si stultitia? **S**tultitia est summum malum, *Omnes* sumus stulti, quia nemo asequitur sapientiam. Igitur omnes sumus in malis. **T**ELAMON? pater *Aiacis*, cuius grauem casum deplorans apud tragicum poetam negat esse diuinam prouidentiam. **D**EDEBANT? haec loquitur *Academicus Cotta*. **B**ONIS? iustis, & fortibus. **D**UOS *Scipiones*? *Pub.* & *Cnaeum* fratres a ducibus *Carthaginensiu* in Hispania caesos. *Pub.* in acie, & *Cnaeum* in turri combustum. **E**X TVLTI filium? immatura morte peremptum sepeliuit. **C**ANNAE? id est, clades ad *Cannas*. **A**FRI C A N V N? *Aemilianum Scipionem*, qui noctu domi strangulatus est fraude, ut putatur, uxoris.

CICE-

C I C E R O

SEd haec uetera, & alia permulta propiora uideamus. cur auunculus meus, uir innocentissimus, idemq. doctissimus, P. Rutilius in exsilio est? cur sodalis meus interfectus domi suae Drusus? cur, temperantiae, prudentiaeque specimen ante simulacrum Vestae pontifex maximus est Q. Scaeuola trucidatus? cur etiam ante tot ciuitatis principes a Cinna intercepti? cur omnium perfidiosissimus C. Marius Q. Catulum, praestantissima dignitate uirum, mori potuit iubere? dies deficiat, si uelim numerare, quibus bonis male euenit; nec minus, si commemorem, quibus improbis optime. cur enim Marius tam feliciter septimum consul domi suae senex est mortuus? cur omnium crudelissimus tam diu Cinna regnauit? at dedit poenas. prohiberi melius fuit, impediriue, ne tot summos uiros interficeret, quam ipsum aliquando poenas dare. Summo cruciatu, supplicioque Q. Varius, homo importunissimus, perijt: sed, quia Drusum ferro, & Metellum ueneno sustulerat; illos conseruari melius fuit, quam poenas sceleris Varii pendere. Duo de quadraginta Dionysius tyrannus annos fuit opulentissimae, & beatissimae ciuitatis. quam multas ante hunc in ipso Graeciae flore Pisistratus, ac Phalaris, ac Apollodorus poenas sustulit, multis quidem ante cruciatu, & necatis, & praedones multii saepe poenas dant: nec tamen possumus dicere, non plures captiuos acerbe, quam praedones, nec catos. Anaxarchum Democritum a Cyprio tyranno excarnificatum accepimus, Zenonem Eleatem in tormentis necatum. quid dicam de Socrate? cuius morti illacrymari soleo, Platonem legens. Uides ne igitur, deorum iudicio, si uident res humanas, discrimen esse sublatum? Diogenes quidem Cynicus dicere solebat, Harpalum, qui temporibus illis praedo felix habebatur, contra deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu uiueret. Dionysius, de quo ante di-

xi, cum sanum Proserpinae Locris expilauisset, nauigabat Syracusas: isque cum secundissime cursum teneret, uidetis ne, inquit, amici, quam bona a dijs immortalibus nauigatio sacrilegis detur? Atque homo acutus, cum bene, planeque percepisset, in eadem sententia perseuerabat: qui, cum ad Peloponnesum classem appulisset, & in sanum uenisset Louis Olympij, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo lonem ornat ex manibus Carthaginensium tyrannus Gelo: atque in eo etiam cauillatus est, aestate graue esse aureum amiculum, hieme frigidum: eiq. lanicum pallium iniecit, cum id esse aptum ad omne anni tempus diceret. Idemque Aesculapij Epidauri barbam auream demi iussit: neque enim conuenire, barbarum esse filium, cum in omnibus sanis pater imberbis esset. tam mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri: in quibus quod more ueteris Graeciae inscriptum esset, Bonorum deorum, uti se coru bonitate uelle dicebat. Idem uictorias aureas, & pateras, coronasque, quae simulacroru porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat; eaque se accipere, non auferre dicebat: esse enim stultitiam, a quibus bona precaremur, ab ijs porrigentibus, & dantibus nolle sumere. Eundemque ferunt haec, quae dixi, sublata de sanis in forum protulisse, & per praedonem uendidisse; exactaque pecunia, edixisse, ut, quod quisque a sacris haberet, id ante diem certam in suum quidque sanum referret. ita ad impietatem in deos, in homines adiunxit iniuriam. Hunc igitur nec Olympius iupiter fulmine percussit, nec Aesculapius misero diuturnoque morbo intabescere interemir; atque in suo lectulo mortuus, in Tympanidis rogi illatus est; eamque potestatem, quam ipse per scelus erat nactus, quasi iustam, & legitimam hereditatis loco filio tradidit.

EXPLANATIO

INNOCENTISSIMVS? iustissimus. Lius inquit, P. Rutilius uir summae innocentiae cum a publicanorum iniurijs Asiam defendisset, inuisus equestri ordini, penes quem iudicia erant, reperundatum damnatus in exsiliu missus est, Smyrnai scilicet. DRVSVS? M. Lius Drusus trib. pleb. incertum a quo uespere occisus est, in porticu domestica inambulans. Q. SCAEUOLA? Q. Mucius Scaeuola pontifex maximus fugiens in uestibulo aedis Vestae confossus cecidit. Commendatio eius insignis, quod fuerit specimen temperantiae, & prudentiae. PERFIDIOSISSIMVS? flagitiosissimus. Q. CATULUM? is, ut inquit Appianus, sponte in cubiculo accensis carbonibus suffocatus est. SENEX EST MORTUUS? Marius ambitione ductus conflagit bellum civile, mortuus est septuagenarius. De eo ita inquit Lilius: Marius, multis editis sceleribus, decessit Idibus Ianuarijs, uir, cuius si examinentur cum uirtutibus uitia, haud facile sit dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit. TAM DIU? fuit enim quater consul, & quamuis collegas habuerit, attamen quasi solus Romanam remp. ad libidinem administrauit. AT DEDIT POENAS? Occupatio, puniuntur tamen scelerati. CINNA a suo exercitu tandem in Piceno apud urbem Anconem obrutus est. PROHIBERI MELIUS? Melius est prohibere, aut impedire mala, ne fiant, quam facta punire. Igitur non excusatus est deus puniens sceleratos. ILLOS? Drusum, & Metellum. CIVITATIS? Syracusarum. LOCRI? opidum est Lucaniae. PISISTRATVS, ac Phalaris, &c. Tyranni fuerunt. HARPALVM? Exempla praedonum, & sacrilegorum fortunatorum, & uoces eorum contumeliosae aduersus prouidentiam dei. TYRANNVS Gelo? Constat ex Trogo, Gelonem fuisse Siciliae tyrannum. CAUILLATVS est, & iocose iussit. AESCVLATVS? Apollinis, & Coronidis nymphae filius. EPIDAVRI? Vrbs Peloponnesi Epidaurus, clara Aesculapij templo. BONORVM deorum? Sophisma Dionysij, Bono uti licet, Dijs sunt boni, Igitur dijs utendum est, & per consequens licet auferre ab ijs, quae habent. NON AUFERRE? Aliud Sophisma. Quod porrigitur accipiendum est, Dijs uel

uel statuae porrigunt pateras &c. Igitur accipere licet. Ita ad impietatem? Triplex est in facto peccatum. Primo, Sacrilegium est, expilare templa. Secundo, Contra ius est, uendere res sacras. Tertio, Iniquum est, res uenditas rursus eripere emptoribus.

CICERO

INVITA in hoc loco uersatur oratio: uidetur. n. auhoritatem afferre peccandi: et recte uidetur, nisi & uirtutis, & uitiorum, sine ulla diuina ratione, graue ipsius conscientiae pondus esset. qua sublata, iacent omnia. ut enim nec domus, nec resp. ratione quadam, & disciplina designata uideatur, si in ea nec recte factis praemia exstet ulla, nec supplicia peccatis: sic mundi diuina in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum, & malorum. At enim minora dii negligunt; neque agellos singulorum, nec uiticulas persequuntur; nec, si uredo, aut grandio quippiam nocuit, id Ioui animaduertendum fuit. ne in regnis quidem reges omnia minima curant. sic enim dicitis. Quasi ego paulo ante de fundo Formiano P. Rutilij sim questus, non de amissa salute. Atque hoc quidem omnes mortales sic habent, externas commoditates, uineta, segetes, oliueta, ubertate frugum, & fructuum, omnem denique commoditatem, prosperitatemq. uitae a dijs se habere: uirtutem nemo umquam acceptam deo retulit. ni mirum recte: propter uirtutem enim iure laudamur, & in uirtute recte gloriamur. quod non contingeret, si id donum a deo, non a nobis, haberemus. at uero aut honoribus aucti, aut re familiari, aut si aliud quippiam nacti sumus fortuiti boni, aut depulimus mali; cum dijs gratias agimus: tum nihil nostrae laudi assumptum arbitramur. num quis, quod bonus uir esset, gratias dijs egit umquam? at quod diues, quod honoratus, quod incolumis: louemq. optimum maximum ob eas res appellant, non quod nos iustos, temperatos, sapientes efficiat, sed quod saluos, incolumes,

opulentos, copiosos. neque Herculi quisquam decumam uouit umquam, si sapiens factus esset. quamquam Pythagoras, cum in geometria quiddam noui inuenisset, musis bouem immolasse dicitur. sed id quidem non credo: quoniam ille ne Apollini quidem Delio hostiam immolare uoluit, ne aram sanguine adspargeret. Ad rem autem ut redeam, iudicium hoc omnium mortaliu est, fortunam a deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam. quamuis menti delubra, & uirtuti, & fidei consecremus: tamen haec in nobis ipsis sita uidemus: spei, salutis, opis, uictoriae facultas a dijs expetenda est. Improbiorum igitur prosperitates, secundaeq. res redarguunt, ut Diogenes dicebat, uim omnem deorum, ac potestatem. At non numquam bonos exitus habent boni. eos quidem adscribimus, attribuimusq. sine ulla ratione dijs immortalibus. At Diagoras, cum Samothraciam uenisset, ab eis ille qui dicitur, atque ei quidam amicus, tu, qui deos putas humana negligere, non ne animaduertis ex tot tabellis pictis, quam multi uotis uim tempestatis effugerint, in portumq. salui peruenerint? ita fit, inquit. illi enim nusquam picti sunt, qui naufragium fecerunt, in mariq. perierunt: Idemque, cum ei nauiganti ueltores, aduersa tempestate timidi, & perterriti, dicerent, non iniuria sibi illud accidere, qui illum in eandem nauem recepissent; ostendit eis in eodem cursu multas alias laborantes; quae si uideant, num etiam in ijs nauibus Diagoram uebi crederent. sic enim sese res habet, ut ad prosperam, aduersam ue fortunam qualis sis, aut quemadmodum uixeris, nihil intersit.

EXPLANATIO

VIDETUR enim? Alia occupatio: At eleuata prouidentia confirmatur peccandi licentia. At enim minora dii negligunt; Haec est alia Stoicorum ratio, qua Academicorum obiectiones disputando refellebant. Nec uiticulas persequuntur; Nec uinum carbunculationes curant. uiticulas dixit, ut ostendat, eas minimum quid esse apud deos. Quasi ego? Respondet Coita, se de maximis conquestum esse, id est, de salute ciuium oppressorum, & non de agellis eorum, quae minima esse ducunt Stoici. Atque hoc quidem? Inuentio. immo commoditatem, quae a Stoicis minima dicuntur, omnes a deo petunt, & pro ijs acceptis gratias agunt, sed pro uirtute, quae bonorum maxima censetur, sibi accepta referunt, & non deo. Propter uirtutem? Argumentum topheisticum: Propter alienum bonum non laudamur, sed propter proprium. Propter uirtutem laudamur. Igitur uirtus non est alienum bonum siue donum dei, sed proprium, hoc est propria industria partum. Pythagoras, cum in geometria quiddam noui inuenisset, musis bouem immolasse dicitur. Quid in geometria nouum Pythagoras inuenit, indicat Laertius in ipsius uita, his uerbis: Φησὶ δὲ Ἀπολλώνιος ὁ λογικὸς, ἐκατέρωθεν εὖσαι αὐτὸν, δρόντα ὅτι τὸ ὀρθογώνιον ἡριζώνη ἢ ὑποκείμενα πλάγια ἴσον δυνάμει τὰς ἑκατέρωθεν. In eo dissentit a Cicerone, quod hecatombem nominat Cicero bouem unum. Quod autem sequitur: Sed id quidem non credo: recte non credit: quia bouem quidem Pythagoras immolauit, sed luteum: ut sacrificium esset incruentum, & religioni tamen aliqua sacrificij specie satisfaceret. ita, quod attinet ad cruorem, recte Cicero dixit. Non credo: bouem tamen immolatum non negat. Qua de re Gregorij Nazianzeni ex epistola ad Nemesium uerba subiungam, unde luteo de boue cognoscitur: Ἐπανοίτις τινὲς Πυθαγόραν τὸν Σάμιον, ὅτι ὕσαι δεῖσαι αὐτῷ, ἐπειδὴ γὰρ ἄλλως ἢ ἐπὶ τῷ ἰσθμῷ, πλείω τοῖς τῆς Θεοῦ ἀπορωσιστατο. μηδὲ γὰρ ἡμεῖς, νεκρὰ νεκροῖς καθάριον, ὅτω λόγων τὰ σώματα. Quamuis menti & c. Solent Stoici arguere contra Academicos delubra menti. uirtuti, & fidei dicata esse, ac si illarum facultas deo accepta referatur.

referatur. Respondens Cotta, fatetur delubra, mentis, uirtutis, & fidei, sed tamen mentem, uirtutem, & fidem, dicit in nobis conspicue sitas esse. *SPEI, salutis &c.* Idipsum arguebant Stoici de spe, salute, ope, uictoria: quibus respondetur ex Diogenis sententia, inconsultam esse deorum uim, qui etiam improbis faueant. *AT non numquam bonos &c.* Obiectio de bono bonorum exitu. *AT Diagoras?* Opponit testimonium Diagorae Athei, qui de deo loquens audiendus non est. *A deos ille qui dicitur?* plures enim fuisse huius nominis, ut alibi retulimus. *ITA sit, inquit?* ponit uasum Diagorae responsum impio cauillo nixum. *P I C T I sunt?* Etiam si aliqui euaserint e periculo, tamen alibi, & temporibus alijs plurimi perierunt, qui quoque dei opem implorauerunt. *S I C enim?* Impia sententia.

C I C E R O

NON animaduertunt, inquit, omnia dii: ne reges quidem, quid est simile? Reges enim si scientes praetermittunt, magna culpa est: at deo ne excusatio quidem est inscientiae, quem uos praecclare defenditis, cum dicitis, eam uim deorum esse, ut, etiam si quis morte poenas sceleris effugerit, expetatur eae poenae a liberis, a nepotibus, a posteris. o miram aequitatem deorum. ferret ne ulla ciuitas latorem istiusmodi legis, ut condemnaretur filius, aut nepos, si pater, aut auus deliquisset?

Quinam Tantalidarum interneconi modus Paretur? aut quaenam unquam ob mortem Myrtili Poenis luendis dabitur satias supplicij? utrum poetae Stoicos deprauauerint, an Stoici poetis dederint auctoritatem, non facile dixerim. portenta enim, & flagitia ab utrisque dicuntur. neque enim, quem Hipponactis iambus laeserat, aut qui erat Archilochi uersu uulneratus, a deo immisum dolorem, non conceptum a se ipso continebat: nec, cum Aegypti libidinem, aut cum Paridis uidemus, a deo causam requirimus, cum culpae paene uocem audiamus: nec ego multorum aegrorum salutem non ab Hippocrate potius, quam ab Aesculapio, datam iudico: nec Lacedaemoniorum disciplinam dicam unquam ab Apolline potius Sparta, quam a Lycurgo, datam. Critolaus, inquam, euerit Corinthum, Carthaginem Hasdrubal. hi duos illos oculos orae maritimae effoderunt, non iratus alicui, quem omnino irasci posse negatis deum. at subuenire certe potuit, & conseruare urbes tantas, atque tales.

uos enim ipsi dicere soletis, nihil esse, quod deus efficere non possit, & quidem, sine labore ullo: ut enim hominum membra nulla contentione, mente ipsa, ac uoluntate moueantur, sic numine deorum omnia fingi, moueri, mutariq. posse. neque id dicitis superstitiose, atque aniliter, sed physica, constantiq. ratione: materiam enim rerum, ex qua, & in qua omnia sint, totam esse flexibilem, & commutabilem; ut nihil sit, quod non ex ea quamuis subito fingi, conuertiq. possit: eius autem uniuersae ficticem, & moderatricem diuinam esse prouidentiam: hanc igitur, quocumque se moueat, efficere posse quidquid uelit, itaque aut nescit, quid possit: aut negligit res humanas: aut, quid sit optimum, non potest iudicare. non curat singulos homines. non mirum: ne ciuitates quidem, non has: ne nationes quidem, & gentes, quod si has etiam contemneret; quid mirum est, omne ab ea genus humanum esse contemptum? Sed, quo modo ydem dicitis, non omnia deos persequi; ydem uultis, a dijs immortalibus hominibus dispartiri, ac diuidi somnia: iccirco somnia haec tecum; quia uestra est de somniorum ueritate sententia. Atque ydem etiam uota suscipi dicitis oportere. nempe singuli uent. audit igitur mens diuina etiam de singulis uidentis ergo, eam non esset tam occupatam, quam putabatis? fac esse dissentiam, caelum uersantem, terram tuentem, maria moderantem: cur tam multos deos nihil agere, & cessare patitur? cur non rebus humanis aliquos otiosos deos praeficit? qui a te, Balbe, innumerabiles explicati sunt.

EXPLANATIO

NON animaduertunt, inquit, omnia dii: ? Repetit Stoicorum rationem, similitudine regum confirmatam. *QUID est simile?* Negat Cotta similitudinem, quam afferunt Stoici. *PRAECLARE defenditis?* Ironice loquitur, quasi dicat: Defensio uestra arguit in dijs iniquitatem. *UT etiam si quis?* Parentum scelera interdum uindicantur in posteris. *O MIRAM?* Ironia. *FERRET ne &c.* Non pateretur, inquit ulla ciuitas promulgari legem, quae a filijs & nepotibus parentum, & maiorum poenas exigeret. Nullus aequus princeps punit infantes, Deus punit liberos infantes criminis parentum, Igitur deus non est aequus. *QUINAM Tantalidarum &c.* ? Senarij tres iambici sunt: quos nemo hucusque agnouit, mihi cum semper ipsa uerba poetici quiddam olere uisa sunt, tum multo magis, postea quam in Maffei libro scriptum legi, Satias supplicij, non Satietas supplicij. quod cum animaduertissem, confugi statim ad mensuram; eaq. usus, deprehendi uitium, quod propter continuatum uerborum ordinem latebat. senarios, inquam, iambicos, ex uetere poeta, esse comperi: qui sunt ita distinguendi:

Quinam Tantalidarum interneconi modus

Sit? aut quaenam unquam ob mortem Myrtili

Poenis luendis dabitur satias supplicij?

Satias, autem pro, Satietas, interdum ueteres dicebant: unde Lucretius lib. II.

- fessus fatiate uidendi.

Et lib. VI. - iuuabant

Cum fatiate cibi.

Sed ecce ueritas elucet. Cum aliquot ante annis haec superiora scripſiſſem, euoluendis Carſij monumentis inueni, unde ſint hi uerſus. Sunt autem ab Attio poeta ſumpti, quem ille nominat Inſtit. gram. lib. I. *QVINAM Tantalidarum* & Duo exempla recitat liberorum, qui parentum luerunt ſcelera. *NEQVE enim* & *Qui Hippo- nactis*, aut Archilochi mordacitate offenditur, ſibi ipſe cauſa eſt doloris, quod non reſtitit dolori. *TANTALI DARVM* & nepotum Tantalı, qui numinum arcana prodidit. *OB mortem Myrtılı* & hunc Mercurio natum Pelops Tantalı filius deiecit in mare, quod Myrtroum dictum eſt a caſu Myrtılı, ut Icarium a caſu Icarı. *NE- QVE enim* & exemplis probat mala ab hominibus non a dijs immitti, ueluti Poetae a Stoicis deprauati ſentie- bant. *HIPPONACTIS iambus* & hic fuit Ephēſius, & notabili uultus foeditate: quamobrem Bupalus, & An- thermus imaginem eius in ridentium circulis praepoſuere, indignatus Hipponax amaritudine iamborum di- ſtrinxit eos in tantum, ut aliquos ad laqueum compuliſſe credatur. Meminit Horatius in Epode, ubi & de Ar- chilocho. *ARCHILOCHI uerſus* & hic in Paro intula natus, ob denegatam Neobulem ſponſam, iambico carmi- ne in Socerum Lycamben inuectus eſt. *AEGYPTI libidinem* & hic Thyēſtae filius Clytemneſtram patruelis Agamemnonis uxorem adulterio polluit. *PARIDIS* & Is Priami filius Helenam Menelai uxorem rapuit. *Nec ego* & exemplis contrarijs probat Cotta etiam bona ab hominibus conferri homini, & non a dijs. id facit uti A- cademicus, qui utrimq. de omnibus ambigere ſolet, ut liberam audientibus, & legentibus relinquatur iudiciū. *HIPPOCRATES* & Cōus fuit, medicinae auctor maximus. *AESCULAPIVS* & hic Apollinis & Coronidis nym- phae filius a poetis dicitur medicinae deus. *AB Apolline* & ex cuius ſententia leges Lycurgi latae dicuntur. *CRITOLAVS* & quoniam legatos Romanorum uiolauerat, cauſa fuit, ut a L. Mummiō deleteretur Corinthus. *HASDRUBAL* & qui Carthaginiēſis ciuis, & dux in tertio bello Punico crudelitate in captiuos Romanos edi- ta excitauit patriae incendium. auctor eſt Appianus. *NON iratus* & Adimit deo iram, ſed auxilium in eo de- ſiderat. *AT ſubuenire* & Intendit Cotta Stoicorum armis agere contra Stoicos, ut oſtendat deum negligere. *Vos enim* & Aſſertio Stoicorum de diuina potestate. *NIHIL eſſe, quod deus* & Contra omnipotentiam dei: Si deus omnia poſſet, conſeruaret urbes, & alia, ne euerterentur. *VT enim* & Similitudo, qua Stoici probant deum facile efficere quidquid uelit. *NEQVE id dicitis* & His rationibus Stoicorum Academicus quaſi proprij decre- ti oblitus uidetur aſſertiri, ut aduerſarios armis proprijs confodiat. *NON curat ſingulos* & ita ſentiunt Stoici. quo conſeſſo, Academicus a principalibus partibus ad totum adigit eos, ut ſentiant deum nihil curare. *SED quomodo, & c.* & Oſtendit Cotta Stoicos pugnantia dicere. *OMNIA perſequi* & Complecti, uel curare. *SOM- NIA haec tecum* & ſubaudi ſint. *SENTENTIA* & ſomnia uera mitti a deo ſingulis hominibus. *VIDETIS igitur* & Adhuc inſtat Cotta, Stoicos pugnantia dicere, qui uelint mentem diuinam intelligere ſingulorum uo- ta, & tamen eſſe tam occupatam, ut ſingula curare non poſſit. ſequitur enim, ut, quae ſingulorum uota intel- ligit, non ſit tam occupata, quam putant. *FAC eſſe* & Eſto, inquit, quod ſit occupata: cur non utitur ue- teris dijs miniſtris, quos innumerabiles eſſe, & otioſos dicitis; ut curent res humanas? ac ſi dicat perperam negant Stoici, deos poſſe curare ſingulos homines, cum poſſint regum more, alios ſubſtituere, qui curent ſingula.

C I C E R O

HAEC fere dicere habui de natura duorum, non ut eam tollerem, ſed ut intelligeretis, quam eſſet obſcura, & quam difficiles explicatus haberet. Quae cum dixiſſet Cotta, ſinem fecit. Lucilius autem, *Ve- bementius*, inquit, tu quidem, Cotta, inuectus es in eam Stoicorum rationem, quae de prouidentia deo- rum ab illis ſanctiſſime & prouidentiſſime conſtitu- ta eſt. ſed, quoniam adueſperaſcit, dabis diem nobis aliquem, ut contr a iſta dicamus. eſt enim mihi tecum pro aris, & focis certamen, & pro deorum templis, atque delubris, proq. urbis muris; quos uos pontifi- ces ſanctos eſſe dicitis; diligentiusq. urbem religio- ne, quam ipſis moenibus, cingitis. quae deſeri a me, dum quidem ſpirare potero, neſas iudico. Tum Cot- ta, Ego uero & opto redargui me, Balbe: & ea, quae diſputaui, diſſerere malui, quam iudicare: & facile me a te uinci poſſe, certo ſcio. Quippe, inquit Velleius qui etiam ſomnia putet ad nos mitti ab Io- ue: quae ipſa tamen tam leuia non ſunt, quam eſt Stoicorum de natura deorum oratio. Haec cum eſſent dicta, ita diſceſſimus, ut Velleio Cottae diſpu- tatio uerior, mihi Balbi ad ueritatis ſimilitudinem uideretur eſſe propenſior.

E X P L A N A T I O

HAEC fere dicere & Epilogus monens ad quem ſinem iſta ſint dicta, nempe ut quid probabiliter de deo diſſeri poſſet oſtenderetur. Quare ſubdit optare ſe redargui, & quae diſputauit maluiſſe diſſerere, quam iudicare, ac facile poſſe uinci a Balbo. *LVCILIVS autem* & Modeſta diſſenſio Balbi cum Cotta, & pia ſi-

M gnifica-

gnificatio amoris tuendi prouidentiam . P R o aris, & focis ꝛ id est, pro religione ac sacrificijs, quae nulla fierent, si deus non esset, aut si humana non curaret. Q V I P P E, ꝛ certe. ironice loquitur Velleius. D I C T A ꝛ disputata. I T A ꝛ sic dispositi disputationibus. M I H I ꝛ Aperit Cicero sententiam suam, dicens, disputationem Balbi sibi uisam esse propensiores ad similitudinem ueritatis, uti Cottae disputatione Velleio uisa est uerior.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

FIGERO

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

EXPLANATIO

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]





PERILLVSTRI
COMITI
MARIO. BEVILAQVAE



Nihil hoc tempore mihi gratius accidere poterat ,
quam illustre nomen Tuum ad aures meas perueni-
re. factum hinc enim est , ut hoc , etiam si perexi-
guo , aliquo tamen signo meam in Te, Tuiq. simi-
les obseruantiam declararem. Nobili familia natum
esse, praestantesq. uirtute maiores posse nominare, ma-
gnae felicitatis loco a plerisque ducitur : qui maio-
rum lumen posteris quoque prodesse putant. ego secus existimo. nam
lumen illud nobilitatis bonum , malumq. effici , pro posterorum me-
ritis, iudico. Quo fit, ut Te mihi praecipue colendum proposuerim :
cum intellexerim , ad antiquam maiorum Tuorum nobilitatem (quae
in Veronensi celeberrima ciuitate florentissima semper fuit) propriam
Tuam accessisse, eamq. illustriorem. nam, cum habeas domestica ex-
empla plurima singularis uirtutis, belli, domique; ijs tamen non con-
tentus, quotidie & maiores Tuos, & Te quoque ipsum bene agendo
uincis. Quid? Tu, omnium laudandarum artium cognitione prae-
stantissimus, omnes, qui in ijs aliqua cum laude uersantur, ad maiora
conanda non solum quacumque potes re inuitas, sed exemplo Tuo,
quod maximam uim habet, paene cogis. imagines excellentium ui-
rorum domi seruas: quae a priscis illis summo in honore habebantur.
& merito. maxime enim nos ad uirtutes accendunt. Egoq. ipse, Tuo
exemplo commotus, Musaeum meum, tenue illud quidem, fortasse ta-
men non profus indignum, quod a litteratis uiris uisatur, ornare ijs
statui. In quo, Te praecipue imitans, erit, cur saepe Te in ore, amo-
req. habeam, Tuumq. istum insignem animum praedicem, Tibiq. pu-
blico nomine plurimum me debere fatear. Interim hoc a me amici,
atque obseruantis animi indicium, Commentarium in Ciceronis li-
bros de Diuinatione, hilari uultu accipe. neque me, de facie, igno-
tum,